BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
7 0
32
VII a 65
14-5.G.12

715

FRANCISCI
CONTARENI
THADÆI PATRITII VENETI FILII
Philoſophiæ, Iuris Vtr: & Sacræ Theologię
D O C T O R I S,
De Deo, & de his, quą effluxerunt à Deo,
Libri Tres,
Cum Indice altero capitum, alterum verò rerum, & verborum, quą in opere continentur,
Ill.mo & R.mo Card. Sarnano Dicati.



BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

Patauij, Apud Laurentium Paſquatum. 1594.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
D.D. Conſtantio Sarnano S.R.E. Cardinali Amp.^mo

Franciſcus Contarenus S. P.D.

QVoties mihi grauis aliqua literarum prouincia data fuit à maioribꝰ meis, in qua me nominis, & ingenij mei periculum facere oportuerit, ſtatim ad SARNANVM

a *clypcum*

Clypeum tuum, Romani Pontificatus Illuſtrisſime & conſtantisſime Cardo, forti animo confugi, nam omni tēpore, omniq́; in fortuna omnem ſpem, ſalutem, cogitationes omnes, & totam deniq́; mentem in eo; veluti tutelari quodpiam numine; fixi, et locaui, haud ſecus ac Myrtillus ille inter veteranos fortisſimus miles, qui cum hoſte pugnaturus omnem ſalutis, ac victoriæ ſpem in ſcuto ſuo ita poſuerat, vt non ſolum in terreſtri pugna eo armatus ſæpè ab ingruentibus hoſtium telis ſe viriliter defenderit, verum etiam in nauali conflictu expugnata ſubmerſaq́; ferè naui eidem ſcuto pectore incum-

bens tot maris fluctibus, totq́ꝫ procellis agitatus in portum in columis natando appullerit. Quamobrem, cum naturæ gemina fundamenta iampridem ſtabilirem, Auguſtisſimo, ac Inuictisſimo Clypeo tuo, tuisq́ꝫ ſacris inſulis prius accingi volui, & publicè repetito conflictu audentius pugnaui, ac tãdem ſub tuis auſpitiis non inglorius (cœleſti Numine fauente) uictoriã reportaui. Nunc verò de Deo, & de his, quæ à Deo, quàm primum effluxerunt, tres libellos editurus iterum ad SARNANA Inſignia, quaſi ad ſacrã ancoram confugio. Accipe igitur hæc mea qualiacumq́ꝫ leuiora elucubrata, quàm vt tuæ

Am-

Amplitudini dicari mœreantur, & ſicut Vlpianum Alexã der Imperator à militum ira obiectu purpuræ ſummæ defendit, ſic tu Religionis firmiſſime Vertex, vt me tuo Clypeo incluſum, & hæc laborum meorũ monumenta rubei galeri, & Sacræ purpuræ ſplendore, ac maieſtate velare, fouere, ac tueri uelis etiam, atq; etiam rogo, enim uerò nominis tui ſplendore illuſtrata ab eorum aculeis, qui mihi æmulari, quiq; de ſtudiis meis quicquam detrahere auſi fuerint, ſeſe facillimè tueri, ac defenſa, et conſpicua in lucem tutò prodire poterunt. Quare ſi hanc etiam nominis mei tutelam à te grato animo ſuſcipi

im-

impetraro, omnibus lætitiis incedam, tibiq́; non quas debeo, quia ſunt infinitæ, ſed quas poſſum ob magnitudinem tuorum erga me, patremq́; meum meritorum gratias agam, nec ulla eorum memoriam ex animo delebit obliuio, illudq́; unum de me polliceor, ac ſpondeo me omnibus Viribus elaboraturum, & re ipſa præſtaturum, vt tã grati erga me animi tui, & huius in me collati beneficij Sacra, purpura Inſignis, ac Venerande Parens; te numquam pœniteat. Vale & me tibi deuinctiſſimum oculis pietatis tuæ fouere, et illuſtrare ne graueris.

Kal. Martij. M.D.XCIIII.

FRANCISCI CONTARENI
Thadæi Patritij Veneti Filij,
PHILOSOPHIÆ I. V. ET SACRÆ THEOLOGIAE DOCTORIS.
De Deo, & de his, quæ effluxerunt à Deo.
Liber Primus.
PRÆFATIO.

CVm Patauii omnibus ingenuis artibus operam nauarem, & vix aliquid per ætatem intelligerē, cœpi mecum ipſe tacitus co

gitare quid mihi potiſsimum in hac vita agendum,tractandumq́. eſſet, quod ſtudiorum meorum memoriam, rationēq́. foret allaturum,turpe.n. iudicabam nihil me homine dignum præſtare, ac ueluti pecora naturæ, proua quod reliquum adoleſcentiæ eſſet ſilentio pertranſire, ex quo factum eſt ut ſubductis rationibus dum lyceum Patauinum addiſcendi cauſa frequentarem,perdifficilis,atq́. optimè laborioſa artium contentio animū,mentemq́. meam defatigaret,varia.n. ſcientiarum genera ſeſe mihi offerebant, quarū præſtantiam, atq́. excellentiam per ingenii tenuitatem dignoſcere minimè poteram,difficillimum arbitrabar ex tanta uarietate aliquid eligere,cui ingenium,& operam meam poſt humanarum litterarum ſtudium rectè adhibere poſſem:Verebar .n. ne dum leges amplexarer eam Philoſophiæ partem prætermittere cogerer,quæ mihi rerum cauſas ſcienter,&accurate exponebat,quid,quantaq́. terra eſſet,quid Cœlum,quid ſydera,quid ſtellarum

rum

rum errantium curſus,&recurſus ſibi uel lent,& ex qua materia, quibusuè principiis Cœlum, Terra,&cœtera elementa cõſtarent,ſumma cum admiratione edocebat, quæ deniq. ab animo, tanquam ab oculis,caliginem expellebat,cuius cognitionis pulchritudine,atq. præſtantia ita alliciebar,ut nihil uberius,uel ornatius, uel ſuauius excogitari poſſe crederem, de cuius præclaris laudibus cum doctisſimum quemq. pasſim loquentem audirem,tanto deſiderio flagrabam, ut exiſtimarem nihil naturali, & ſapienti Philoſopho ad ueram felicitatem deeſſe,cum uiderem à multis ſummum bonum in intelligentia collocatum: Dumq. huius præclari ſtudii dignitatem, quantum hæbes oculorũ meorum acies ferebat,contemplarer, & contẽplando admirarer, obtulit ſe inſpectandam altera Philoſophiæ pars humanæ vitæ dux,Iuriſq. prudẽtia,uel eo nomine admirabilis,atq. diuina, quòd legum quaſi partum aureum in lucem ediderit, quarum utilitate nihil uberius, nihil fru-

ctuoſius humano generi eſſe poteſt; quid eſt enim quo æquæ de bonis omnibus mœreri poſſimus ac legum ſtudio, & auctoritate? quibus ægrè ac laborātes Reip. partes confirmantur, quibus crudelisſimi latronum impetus ſeuerisſimè reprimuntur, & grauisſima ab honeſtisſimis hominibus pericula auertuntur? Quis non videat ſublatis legibus fore, ut animorum furentium impresſiones in alios asſiduè fiant, optimo cuiq. inſidiæ undiq. parentur, ac illud tempus reuocetur, quo homines tantum in agris beſtiarum more uagabantur, & uictu ferino ſibi uitam propagabant, nec ratione animi quidq. ; ſed corporis uiribus adminiſtrabant? Vos itaq. leges homiues primo in agris diſperſos, ac in locis ſilueſtribus abditos, deinde ratione quadam in unum locum cōpulſos continuiſtis, conſeruaſtis, ex feris, & immanibus mites, ac manſuetos reddidiſtis; Vos itaq. tranquillitatem largitæ eſtis: Vos nobis mortis terrorē ſuſtuliſtis, quarum auctoritate docemur domitas habe

re libidines, coercere omnes cupiditates, ab alienis oculos, manuſq́. abſtinere, ſine quibus nec domus illa, nec gens; nec hominum uniuerſum genus, nec ipſe deniq́ mundus ſtare poſſet. Verum enimuerò hæc animo ſæpè reputanti effulſit mihi ſummi Dei fulgor ille diuinus; Sacroſancta uempe Theologia, cuius ſplendore, & gloria cœtera omnia offuſcata, ac depreſſa humi iacere uidebantur, cuius sanè Theoria ánimum, mentemq́. meam ab infernis ad ſuperna, à ſerie, ac multitudine rerum humanarum ad Angelorum Hyerarchias, ad ipſum deniq́. α, & ω, ſuauisſimo ſtudio rapiebat: Ita mihi effulſit, ita inſonuit Sacra illa, ac diuina ſapientia, quæ cum de altisſimo Deo pertractet meritò Theologia nuncupata eſt, Ego, inquit, ex ore altisſimi prodii primogenita ante omnem creaturam, Ego feci in Cœlo ut oriretur lumẽ indeficiens, Sicut nebula texi omnem terram, Ego in altisſimis habitaui, & trhonus meus in columna nubis. Girum Cœli circuiui ſola; &

dum abyſsi penetraui, & in fluctibus ma ris ambulaui, & in omni terra ſteti, & in omni populo, & in omni gente primatũ habui, & omnia excellentium, & humilium corda virtute calcaui; Huius quidẽ diuinæ ſapientiæ ſuprema poteſtas, ac dignitas in cœleſtibus; atq; in terreſtribus ſummopere relucet, nam in Cœlis girũ Angelorum circuunt Archangeli, orbem Arcangelorum Principatus, Sphæram Principatuum Poteſtates, circulum Poteſtatum Virtutes, girum Virtutum, Dominationum Tyroni, Sphæram Thronorũ Cherubini, circulum Cherubinorum Seraphini, ſed horum omnium ordinum girum, Sacra circuit Theologia & girus iſte mirabilis eſt ipſe Deus glorioſus, & omnipotens: In terris uerò Grammaticus ſua elementa, ſyllabas, uerba, & orationes, ſermonem, ac elegantiam inſequitur, & amplectitur, Dialecticus ratiocinatione palmam aperit, Logicus pugno, ſeù ſyllogiſmo omnia claudit, Iuriſperitus leges & Sacros Canones, & ciuitatum tranquil

litatem

+ Dominationum, orbem

litatem ambit,& fouet,Naturalis Philoſophus principia,& arcana naturæ,Metaphiſicus entia æterna,ac diuina,Politicus ciuitates,& Regna,Echonomicus domũ,& familiam, moralis uirtutes, ac mores compeſcit,& moderatur, Aſtrologus iuditia aſtrorum,apothelefmata, planetarũ radiationes,loca Cœli hylegia,aphetas,anheretas,magnas cõiunctiones,& Eclipſes contemplatur, Mathematicus numeros,& quantitatem,& angulos. Præterea girũ Centri circuit Terra, Terram Aqua, Aquam Aer, Aerem Ignis,Ignem Luna, girum autem Lunæ circuit Mercurius,Mercurii orbem Venus,Venerem Sol, Solem Mars,Martem, Iupiter,Iouem, Saturnus, ſupra quẽ uergitur octaua Sphæra aſtrorum,& ſtellarum inerrantium,& firmamẽtum ipſum,& altius eo Cœlum Chriſtallinum, deinde Cœlum Empyreum, ſed omnium Cœlorum,ac Sphærarum omnium girum ambit illa, quæ ſola circuit girum Cœli, diuina ſapientia. Quamobrem cum (ut Plato in Epinomide teſtatur)

tur)

tur) humanum genus neq. felix, neq. beatum reperiri poſſit, niſi uirtute, iuſtitia, ac religione, ueluti gradibus homo ad Deũ inueniendum, atq. adorandum perexerit, Ego non uni Philoſophiæ, non Iuriſprudentiæ uni, ſed Sacroſanctæ Theologiæ nobiliſſimo ambarum Satelitio ſtipatæ, & corruſcanti omnem operam, curam, diligentiam, omneq. ſtudium meum adhibendum putaui, & diù enixè applicui, & Romæ, ac Patauii in Sacro Sanctis Eccleſiis (ut nobiles decet) in unaquaq harum diſciplinarum plures Theſes, imo libros edidi, & publicè diſputãdo ſuſtinui, ut tandem (Cœleſti numine fauente) ad optatam metam anno ætatis meorum 18. feliciter peruenerim, & Iurisprudentiæ palmam, Philoſophiæ coronam, ac Theologiæ Sacras infulas fuerim conſecutus, & cum nihil eſſe uiderem in quod tam mentis uim, neruoſq omnes ætatis, induſtriæq meæ poſſem laudabilius intendere, ſi mihi, ſi Reip. prodeſſe, ſi Deo glorioſo inſeruire uellem, ſi meminiſſem

me non ſolum mihi, uerum etiam Reip. ac Religioni eſſe natum, neq. eam gloriã contemnerem, quæ honeſtisſimis actioni bus parata ſit, quarum opportunitatem maximam Iuriſconſultos, Philoſophos, acTheologos habere uel ex maiorum lau dibus intelligo, qui tum maiorum memoria in publicis locis, in præclaris ciuitatibus, & in Sacris templis floruerunt, tũ noſtris temporibus in maxima gloria uiuunt, ad eam quamuis fortaſsè aſpirare nequeam, tamen neſcio quo pacto excitor ad Illuſtrium uirorum imitationem, uel potius iamdudum excitatus nõ nihil in tam præclaro legum, Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtudio conſumpſi, ut harum ingenuarum artium utilitatem, dignitatemq. animo tandem complecti ualeã, quarum omnium arcana, ſummaq. faſti gia his ducibus Patauii ueluti parentibus inueſtigaui, ac penetraui, Inſigni Philoſo phorum Principe FRANCISCO PICCOLOMINEO Admirabili Methaphy ſices Anteſignano profeſſore SALVATO

RE BARTOLVCCIO, Sacro, & Venerã do Theologorum Corypheo HIERONIMO PALANTERIO, & omnium ſcietiarũ generę eruditisſimo ANGELO MATTEACCIO è prima ſede iuſprudẽtiã interpraetante. Hæ profecto ſunt illæ uirtutes, quæ nos in uinculis charitatis, ac beneuolentiæ copulis deuinxerũt, nequid agreſte, aut belluinum, nequid immanę, aut crudele per nefas uſurpatum hominũ genus è Cœlo lapſum coniunctionis appetentisſimum turbaret, & à mutuo cœtu in diuerſa diſpelleret, inde fraudes, uĩ, cædes, furta; direptiones, & alias innumerabiles ſcelerum furias comuni ſocietati inimicas cohibuerunt, uindicauerunt, ſuſtulerunt; Quæ uerò ciuitas, quòd oppidum, qui uicus, quæ domus cenſenda eſt, quæ non ſit his præſidis uirtute nempe, legibus, & Religione aſtricta, & munita, quæ non potius ſolitudo, & uaſtitas, quæ non potius ſæuisſimarum ferarum luſtra horribilesq. latebræ habenda ſit? Quæ belli ars, paciſq. diſciplina, quæ ex iiſdem

ſtu-

ſtudiis non prodeat? Quid porrò tot, tantisq́. ſæculis florentisſimam populi Romani famam, gloriamq́. conſeruauit? Quid Halas, Brutos, Decios, Scauros, Seruilios commouit, ut patriæ ſalutem ſuæ anteponerent? nihil certè arbitror in eorũ animis hæſiſſe altius, quam boni, honeſti, ac Religioſi ingens deſiderium, quod uiderent maiorum inſtitutis moribus, & legibus definitum, nihil eſſe præſtantius, nihil glorioſius in uitá quã Diuina, quã Parentes, quam Patriam, quam amicos, ex quibus omnis ſocietas uitæ conſtat, aduerſus externas iniurias uel propriis corporibus regere, atq́. defendere, fuit enim legibus Duodecim tabularũ, quæ auctoritate, ac uetuſtate omni æuo conſecratæ ſunt; fuit inquam Sancitum; AD DIVOS ADEVNTO CASTE, PIETATEM ADHIBENTO, QVI SECVS FAXIT, DEVS IPSE VINDEX ERIT. fuit iſtud etiam confirmatum ut Reip. ſalutem homines ſibi non ſolum nati in ſũmis legibus exiſtimarent, quòd ſi in poſte-

ris illa mens & cogitatio perpetua uiguiſſet, Rempub. à maioribus Acceptam retinuiſſent, nec (proh dolor) uirtute, honeſtate, ac Sanctitate uiolata, & gloria auiti nominis conculcata, nefariisq́ cupiditatibus contaminata, illam labefactaſſent, ſũditusq́ euertiſſent: Quid Lacedemonios, quid Athenienſes, quid Syracuſanos commemorem, quos omnes ſcimus quàm diu legislatoribus ſuis honeſta, & pia ſancietibus paruerunt Imperii fines, à Deoq. gloriam quàm longisſimè protuliſſe, vbi uerò ſuos mores non ad illorum præcepta, aut leges, ſed ad ſuam libidinem, amentiamq́. aggregarunt, vix dici poteſt quam præcipiti ruina omnes interierint, ut inde nomen tacitè, & memoria propemodum deleta eſſe videatur; Nec iniuria; Quæ enim tam excelſa, tam ampla, tã magnifica ædificatio. quæ ſuis non coniuncta partibus, aut ſuis non conglutinata compagibus ſtare diù posſit? imo uel leuisſimis auſtris nõ collabaſcat? Ita nulla Reſp. inuenta eſt; ſi legum, & Religionis uincula

uincula dirumpantur, quæ ſeditionum, & diſcordiarum fluctibus perculſa, atq. agitata in contemptum non ſit ruitura? Proponant ſibi ob oculos priſci illi Romani, ubi illæ cupiditatum, flammæ ſemel exarſerunt, ubi omnia ex arbitrio & animi libidine homines gerere cœperũt, quam omnia fluctuauerint, quantis miſeriis, & calamitatibus omnia redundarint, iura undiq. diſperſa, legeſq. uiolatæ fuerint, nihil iam tutum Romæ, nihil fidum oculis, ore, toto uultu cædes ſociis intentantur, iniquisſima pro æquisſimis habẽtur, non iam placet quod licet, ſed placet quod lubet, quodq. inimicitias, odiaq in ueterata ſatiet, adeo ut nihil tam confuſum, tam perturbatum, tam Reip. disſimile tunc Romæ haberetur: Quid ita? Solem ſcilicet è mundo tollit, qui iuſtitiam, pietatemq tollit, magnaſq. inuehit uitæ humanæ tenebras, tantumq. abeſt ut hominum coniunctionis particeps eſſe debeat, ut etiam procul. ſi ſaluam illam eſſe uolumus; ſit exterminandus. Quid enim,

tam

impium, tam inhumanum, tam barbarum quam homini, quam ſibi ipſi, quam Deo eſſe inimicum? Quid uerò tam inimicum, quam Deum, æquitatem, & iuſtitiam contemnere, fidem fallere, ſocios ſpoliare, nihil moderatè, aut temperanter, aut aptum naturæ, nihil facere officio, & ſocietati hominum, atq; comunitati conuenientisſimo, Sed quorſum hæc? nempè quoniam animus meus harum diſciplinarū, Philoſophiæ ſcilicet, Iuriſprudentiæ, ac Theologiæ igniculis, & flammis accēſus, ac inflammatus non potuit non earum dignitatem, atq; ſummam utilitatem pro uiribus meditari, & explicare. Verū enim uerò cum me Romam migrare oporteat, quo me cohortationes, imo iuſſa Clarisſimi Parentis mei, & Illuſtrisſimi, ac Reuer. Cardinalis Sarnani, cui quidem omnia debeo, & de me optimè meriti auctoritas compellunt, & laceſſunt, ego excuſſo iam puluere Scholaſtico quaſi penulatus, & ochreatus has meas lucubrationes, qualeſcunq; fuerint componere, ac edere decreui,

decreui, quæ perpetuum ſtudiorum meo rum forent monumentum, & laborum, ac retroactæ adoleſcentiæ meæ unicum teſtimonium, & omnia in Deum ipſum rerum omnium opificē retrhaere, ac ab ipſo deducere; Proinde ſtudioſè quærebam de Deo, & de his, quæ à Deo ab initio ſimul coæua fluxerunt, Angelis, Cœlo, tempore, ac materia prima, necnon de hu manis legibus etiam ab eo dem principio manantibus.

DEVM ESSE.
Cap. Primum.

CVM Sacroſancta Scriptura vndequaquè ad eum potiſſimum finem tendat, vt omnipotentis Dei eruatur agnitio, non erit ab re, ſi Deum primo perquiramus: Deum eſſe cum gentiles, tùm philoſophi, nedum Chriſti fideles ſunt firmiter profeſsi: Hīc de Dei nomine Euſebius Pamphilius Cæſarienſis in lib. de præparatione euãgelica, *Cap. 12* hæc inquit: Dicere non dubitamus natura,

imo uerò diuinitus omnibus esse hominibus inſitum, non ſolum vtiq; quid, atq; conducibile de nomine ſignificari, uerum etiam omnium rerum Creatorem ſic appellari: & uerbo quidem ita gentiles omnes natura duce conueniunt: re autem creaturas pro creatore coluerunt, præter vnum, aut admodum paucos, ut uerisſimis hæbreorum libris oſtenditur, qui à rebus uiſibilibus ad intelligibilia mẽtis occulos piè reducentes nõ creaturæ alicui, ſed ipſi rerum omnium Opifici, cunctorũq; largitori bonorum Dei appellationem attribuerunt; cæteri autem omnes animi tenebris inuoluti ad tantam impietatem deducti ſunt, ut pecudum more honeſtum, bonorumq; omnium extremum corporis voluptate terminarent, & hac ratione eos, qui uoluptatũ adinuénerunt genera, uel maleficos, & mortales viros extulerunt, atq́. amplificarunt; quare bonorum largitores & Deos appellarunt, piam huius nominis notionem, natura eis inſitam ad eos transferentes, quos rerum inuentores putabant; tantumq. mentis valuit inſania, ut nec peccare ſe arbitrarentur, nec erubeſcerent

ſcerent diuinis honoribus impios, atq; poten tes homines propter regna tunc primum cõ ſtituta colere, & admirari: Cumq; mores ho minum legibus non eſſent ſtabiliti, nec ſuppli cia peccatoribus imminerēt, adulteria, nephã da matrimonia, maribus ereptam pudicitiã, homicidia, parricidia, confecta ſcelere bella, quaſi res pulcherrimè geſtas diis ſuis attribue bant, & earum rerum memoriam poſteriori- bus quaſi perutilem relinquere ſtudebant. Philoſophi verò etiam Deum eſſe cuncti af- firmarunt; Plato enim, Ariſtoteles, & alii om nes philoſophi in hanc fermè ſententiam cõ uenerunt, vt nemo Deum eſſe negarit: licet uarii uaria ſint locuti; pauci namq. vnum Deum tantum eſſe poſuerunt, ſed plures mul tos exiſtimarunt. Plato tamen, & Ariſtote- les Dei vnitatem aſſeruiſſe uidentur. Plato- nici namq. Deum vnum ſolum, dum ſimpli cem eſſe dixerunt, & huiuſmodi eſſe abſolu- tum, & incircunſcriptum habere nullis limiti- bus deuinctum, quibus talis eſſe conſtitua- tur, affirmarunt, vt in Parmenide patet, in quo vniuerſam Theologiam Platonem comple-

xum fuiſſe fertur,& cum in aliis longè; cæteros Philoſophos antecesſerit, in eodem Parmenide, ſemetipſum ſuperaſſe videtur: Peripathetici etiam Deum eſſe pro certo habuerunt,& eius vnitatem illorum princeps patefacit,cum dixit. Principantium Pluralitatem auferendam, vnumq. principem eſſe conſtituendum: Stoici duo rerum omnium principia eſſe dicebant, faciens uidelicet,ac patiens, & quod patitur ſine qualitate ſubſtantiæ eſſe materiã; quod autem faciat Deum eſſe;quod in ipſa ſit,hunc enim ſempiternum per ipsũ ſingula creare, unumquodq; Deum eſſe ipſumq; & mentem & fatum & Iouem, multiſq; aliis appellari nominibus. Iidem Deũ eſſe dixerunt animal immortale,rationale perfectum, ſiue intellectuale beatum à quocũq; malo remotisſimum, prouidentia ſua mundum, & quæ in mundo ſunt, omnia diſponens, non tamen illi humanæ formæ lineamenta ineſſe; Cæterum eſſe quidem opificem immenſi huius operis & veluti patrem omnium,qui hominum vitæ conſuleret, ac prouideret, à quo fruges, & cætera,quæ terra

parit

parit tempeſtates, temporumq; varietates tribuerentur, ex quo ad Dei cultum inflămabătur, quos ſecutus Virgilius, Terræ cultorem ſic ad hortatus eſt.

In primis venerare Deos, atq. annua magna.
Sacra refer Cereri.

Pythagoram ſecutus, qui ait, ἀθανάτος μὲν πρῶτα θεῦς νόμῳ ὡς διάκειται τίμα, Cuius Pythagorici, & aliæ quæquæ philoſophorũ clades Dei exiſtẽtiã cõprobarũt, ſed quib' rationib', quibuſq; modis ipſum eſſe, iuxta Sacra Religionis noſtræ dogmata poſſit oſtẽdi modo videam'. Duodecim mediis, duodecim quaſi articulis (aliis quam pluribus ommisſis) Deum eſſe poſſumus demonſtrare; nam ratio dictat naturalis ſcientiarum ordo declarat, comparatio rerum ad ipſum idem indicat, rerum creatarum magnitudo demonſtrat, earundem gubernatio ſignificat, Creaturæ clamant, ſancti prædicant, veritas patefacit, veritatis negatio manifeſtat, cauſarum efficientium expoſtulat ordo, ſcriptura loquitur, & demum fides ipſa teſtatur. Primò quidem naturalis ſuadet ratio, quæ per effectus ad cauſarum trahitur

tur notitiam. Quælibet namq. cauſa ſua indiget cauſa à qua recipiat eſſe, & ea cauſa aliam iterum expoſcit, per quam conſtituatur in eſſe. Quare ut proceſſus ad infinita, & circulus in cauſis euitentur, dandum erit id, quod omnium ſit prima cauſa productiua. In cauſis enim non datur progreſſio in infinitum, cum cauſatorum pluralitas ſiuè finita ſint, ſiue infinita, ſit tota cauſata. Quare ſui eſſe vnicam cauſam exquirit, quæ cauſatorum ſubterfugiat pluralitatem. Qui quidem parens rerum Deus erit, à quo cuncta dimanant, nec ſimiliter in ſingulis rebus circulus permittitur, ſecus idem ſeipſo prius, & poſterius neceſſario foret: Secundo patefacit ſcientiarum ſeries, nam ſi ſupra ſenſibilẽ ſubſtantiam nulla ſubſtantia ſcibilis eſſet, nec etiam aliqua ſupernaturalis ſcientia daretur, vt ex quarto met. t. c. vi. depromitur. Cum itaq; ſupernaturalis ſcientia inueniatur, ei ſuũ ſubiectum, quod ſit ſubſtantia ſcibilis ſupra ſenſibilem, eſt attribuendum. Tertio explicat rerum comparatio ad ipſum, noſtrum.n. eſſe præ illius eſſentiam nihil eſt. Hinc Gregorius

gorius *Hebr.1.* omnia humana, quæ iuſta, quæ pulchra ſunt, Dei Iuſtitiæ, & pulchritudini comparata, nec iuſta, nec pulchra ſunt, nec omnino ſunt; ex eo uideamus quàm ſit eſſentiale eſſe Dei, quod ſolo ſuo aſpectu, ſola ſua præſentia, ſolo ſuo eſſe præſentiali omnibus eſſe præbet, adeo ut ſi ſuam præſentiam à rebus auſerret ſicuti per illam de nihilo ſunt facta, ſic per eius abſentiam in nihilum pœnitus redirent uniuerſa: Quarto rerum creatarum, nos inſtruit amplitudo, quia ut dicitur ſap.c. xiii. ſi virtutem, & operam creaturarum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit fortior eſt eis. A magnitudine enim ſpetiei, & creaturæ poteſt cognoſcibiliter eorum videri creator: Quinto rerum exhibet gubernatio, Conſpicimus enim, ut inquit D. Thom. in prima parte ſummæ, q.*2*.art.*3*.nõ nulla cognitione carentia, corpora ſcilicet naturalia agere ad finem: Quod ex eo patet, quia ſæpius eodem modo operantur, vt aſſequantur id, quod eſt optimum: Vnde manifeſtum eſt, illa non à caſu, ſed ex intentione optatum attingere finem; quæ uerò ſunt co-

gnitionis expertia in finem non tendunt, niſi ab aliquo cognoſcente,& intelligente dirigantur, veluti ſagitta ab hominis manu: Quamobrem ponendum eſt aliquod intelligens, à quo res oẽs naturales ad finem ordinentur, quod erit ipſe De' oĩum rectitudo:Sexto creaturæ dicunt, nam quæcunq; ſuo modo clamant,quoniam ipſe fecit nos,&non ipſi nos, ipſe enim Deus eſt uox naturæ hominibus natura inſita,ut etiam teſte Euſebio dictum eſt ſuperius:nam omnia pulchra,ipſum pulcherrimum,dulcia dulcisſimum,ſublimia altisſimum, pura purisſimum, fortia fortisſimum teſtantur. Quia ſicut in Patria Deus eſt ſpeculum, in quo creaturæ relucent,ita creaturæ in uia ſunt ſpeculum,inquo refulget creator. Hinc Apoſtolus. *Cor.xiij*. Videmus nunc per ſpeculum in enigmate, & alibi idem *Rom.1.* Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: Septimo ſanctorum cohors apertè teſtatur:Anſelmus enim in proſolo. Credimus te Domine eſſe aliquid, quo maius nihil excogitari posſit.Dyoniſius eſſe omnium eſt ſuperſubſtantialis diuinitas; ſed

hac

hoc intelligitur cauſaliter, non formaliter: Itidem Anſelmus, id maxime habet eſſe, quod diſtat à non eſſe, quod nempè non habet non eſſe poſt eſſe, nec eſſe poſt non eſſe, nec poteſt cogitari non eſſe: Octauo ex veritate eſt perſe notum. Nam, (ut Thomas ab Argentina in primo .d. tertia art. tertio ratiocinatur) Aliquæ veritates ſecundæ ſunt ex ſe notæ. ergo, & prima: namquè ignota cauſa effectus agnoſci minimè poteſt. Cum ergo Deus ſit veritas prima, quæ eſt omnis ſecundæ ueritatis cauſa (ſecundũ illud Auerrois ſecundo met. com. 4.) eſt enim quoddam ens perſe ens, & perſe uerũ entitate, & veritate cuius omnia alia ſunt entia, & vera, & cum veritas prima non poſſit eſſe quoad quidditatiuam, & eſſentialem cognitionem per ſe nota, neceſſario quoad ſuum eſſe, uel quoad ſuam exiſtentiam erit perſe cognita. Sed forſitam negare poſſet Heraclitus aliquam veritatem eſſe per ſe notam: ſed non ob id poſita ratio rueret; quia id eſt perſe notum eſſe, quod dum negatur, neceſſe affirmatur. Cum veritas ergo ſit hu

ius ſpecici, eam perſe notam eſſe, ſequetur.
Quod præaſſumpſimus probatur, negans n.
veritatem, vel cenſet ſe falsè negare, & tunc
mente ponit veritatem ; ſi autem ſe verè ne-
gare putabit, tunc etiam comprobaret eſſe
veritatem, quia cum nihil abſq; veritate poſ
ſit eſſe uerum, illa negatio niſi ueritas ſuppo
neretur, uera eſſe non poſſet ; & tunc huiuſ
modi veritas, vel erit prima, & ſic mea com-
probabitur intentio; vel erit ſecunda veritas;
& ſic, quia omnis ſecunda primam præin-
telligit veritatẽ, neceſſario illa dabitur. Hæc
autem erit Deus benedictus. Nono ex ueri
tatis negatione deducitur; quia, vt diximus
modo, ex negatione veritatis ponitur veri-
tas, quod tamen oſtendit etiam D. Aug. in
primo libro ſoliloq. c xxv. ſic ratiocinãdo.
Si ueritas non eſt, ueritas eſt; quia conſequi-
tur veritatem non eſſe, eſſe uerum, pone ue-
rum ſecundum quid, non ſimpliciter; tamẽ
ad huc ſequitur, quia om ne ſecundum quid
eſt reſpectu alicuius; quod eſt ſimpliciter.
Si ergo eſt uerum ſecundum quid, ſequitur
neceſſario, quod aliquid eſt uerum ſimplici
ter

ter,& aliqua ueritas ſimpliciter: Hanc eandem rationem affert Alex. Alenſ. in prima parte ſummæ quæſtione tertia primo mem bro: Decimo ordo efficientium cauſarum expoſcit, quia in ſenſibilibus efficientes cauſæ ſunt ordinatæ, quod primum eſt cauſa medii, & medium ultimi,& ibi datur ſtatus, ſiue media,uel plura ſint,vel unum, & ſi prima tollatur cauſa, cauſata etiam auferrētur: Quare ſi in cauſis efficientibus non fuerit primum,non erit dare nec medium, nec ultimum: addatur etiam,quod idem non poteſt eſſe ſuimet efficiens,eſſet enim ſeipſo uel prius,uel poſterius,ergo Deus,qui eſt omniū cauſarum cauſa,erit primum in eorum ordine: Vndecimo, Sacra ſcriptura docet:nam dicitur exodi tertio ex perſona Dei,ego ſum, qui ſum,& eodem loci, Qui eſt miſit me. Hinc dixit Ioannes Damaſcenus, Videtur omnib' principalium eorum, quæ de Deo dicuntur nominibus eſſe (qui eſt) & pſal. *99* Scitote ; quoniam Dominus ipſe eſt Deus. Ipſe fecit nos,& non ipſi nos. Item pſal. *89*. Ab æterno,&uſq; inſeculum tues Deus:Duo

decimo, & ultimo fides ipſa teſtatur. fides namq. Chatolica non ſolum Deum eſſe ſup ponit, atq. fatetur, verum etiam, & credit in Deum, & credit Deo: Primo enim fide creditur Deus, hoc eſt eius eſſe affirmatur. Secundo creditur in Deum, quod eſt credendo Deum amare, amando in eum ire, ac eius membris uniri: tertio creditur Deo; eius .n. uerbis fides adhibetur: Credere in Deum eſt bonorum tantum: Credere Deum, & credere Deo & malis, & bonis eſt commune: Nulla enim gens, tam barbara, etiam a moribus aliena, etiam ab Apoſtolorum documentis extranea, etiam a fidelibus aliena, etiã ab Apoſtolorum documentis extranea, etiã a fidelibus loci longinquitate remota, quæ Deum eſſe non credat, & aras, ac Sacerdotes non inſtituat, ut Deo præces, & uota offerat, atq. perſoluat, licet uarii in talibus errauerint: Qui uerò humanæ mentis aciem ad diuinæ eſſentiæ cognitionem erigere non potuerunt, uaria ſimulacra effinxerunt, & illis tabulas, & uota ſuſpenderunt: Numam uerò Romanorum Regem morta

les

les Dei imaginem agnoſcere non ualere noſcentem; eam Quiritibus legim. dediſſe legem, vt nullum ſimulacrum, nullam imaginem Deo attribuerent: Vnde annis centum, atq; ſeptuaginta ab Vrbe condita, nullam imaginem reſpici, nec fictam, nec ſculptam, nec pictam in templis Romanorum potuiſſe fertur. Illi qui Deorum effigies ſibi ſculpere uoluerunt inter ſe ſe diſcordes, & contrariæ, nedum uariæ fuere opinionis, omittimus eos, qui uel boues, uel alia irrationalia bruta, uel Solem, uel Lunam pro diis adorauerunt: Aliqui Venerem pulchritudinis, & amoris reginam coluerunt: Alii fortunam, tanquam bonorum datricem pro Dea ſunt uenerati: Non nulli, qui Remp. ciuium uiribus, militariq; diſciplina auctam nouerunt, Martem Deum potentiæ prædicarunt: Non nulli pecunioſi homines Vulcanum Deum diuitiarum extollebant, quibus quidē Reſp. tuetur, & augetur, res enim quæq; publica Diis morem gerit: Præterea cauſa prima ueterum philoſophantium auctoritate, eſt diues primum: Alii uerò litterarum dignitatē,

&

& bonarum artium præſtantiam reſpicientes Palladem, Mercurium, & cæteros Deos ſapientiæ collaudabant; quia ſapientiam ex Iouis cerebro exortam uoluerunt: nam pacis,& belli temporibus Reſp. ciuium ſapientia melius gubernantur: Hinc Reſp. beatas eſſe affirmarunt, ſi à ſapientibus regerentur. Multi alii præterea diuerſas Deorum ſpecies, & humanas, & diuinas inſtitutiones ſuppeditarunt; Verum quantum omnes iſti diſtarint à uero, licet apertè noſcamus, ex eo tamen etiam conſpicimus; quod alii aliorum ſententiam reſpuebant; Alii enim Venerem noluerunt eſſe Deam, quia ex luxu, ex pulchritudine,& inhoneſto amore quàm plurima mala prouenire dicebant; Pariter eos fortunam uenerantes alii irridebant, ex eo quia eam etiam malorum largitricem eſſe aſſerebant: Illis autem pro DeoMartem ponentibus cœteri uehementius contradicebant quia etiam multi propter fortitudinem perierunt: Hinc enim ex ciuium fortitudinis faſtu ſæpe numero in Repub. ſeditiones ortæ ſunt: Deum uerò diuitiarum extollētium opinionem alii

impu-

impugnabant quia multorum necis diuitiæ cauſa fuerunt, & Reſp. maximè quandoq; propter diuitiarum abuſum ſubuertuntur; ſed Deum ſapientiæ adorantium præſtantiæ, ac dignitati plurimi aduerſabantur; quia nūquā domi cōſilium prodeſſet, niſi armis, & diuitiis ſe ſeReſp. tueretur Vnꝰ fuit ex Athe nienſium numero repertus, qui Dei effigiē, quoad mens humana euehi poteſt ita effinxit, ut meo quidem iudicio reprehendi nullo modo deberet: Is enim Deorum mores ſtudioſius contemplatus, maximum Deorum alatum opinabatur, & dextræ alæ aureis litteris inſcripſerat, Promitto; ſiniſtræ Expecto, prope cor Remitto, ſupraſcriptio Deus Clementiæ: Si philoſophicè, ſeù moraliter hæc interpretari uelimus, omnes Principes, & ii, qui rebus pub. præſunt Diis ſimiles eſſe iudicantur: Alas enim habere dicuntur, ut ægenis, atq; oppresſis citò deferre ſuffragia posſint, Sed dextera pietatis, ac liberalitatis promittere, imo abundè ſatisfacere; ſiniſtræ furoris, & iræ uindictam longius expectare; Incorde autem teneatur prima beneficiorū

memoria

memoria & iniuriarum obliuio. Principes ij, qui præclaras has uirtutes habuerint ſibi meritò clementiæ nomen uindicabunt. Si uerò hanc Dei imaginatam effigiem ſpiritualiter, & Theologicè exponamus ad Deum noſtrũ hæc omnia referẽtes, alas ipſum habere dicemus; ad nos enim frequenter reddit, & noſtris demeritis abit, quem quoties inuocauerimus, nos uelociter exaudiet, quas uerò patefecerit alas altius perſcrutantes amabò uideamus: Alas ipſe patefecit, cum in ſua paſſionè ad crucis extrema ſacratisſimas extenderat manus: Dextera charitatis, & pietatis pœnitentibus paradiſi gloriam pollicetur, qua hæc etiã latroni promiſit, Hodie mecũ eris in paradiſo, ſiniſtra peccatorũ cõuerſionem expectat, quod ſi Dei iuſtitiam neglexerimus à Paradiſi gloria excidemus, Corde uerò remittit, quia ex Christi latere fluxerunt ſãguis, & aqua; per hanc enim peccatorum crimina mundauit, per illum uerò ad gratiam reuocauit. Hinc legitur lauarunt ſtolas ſuas in ſanguine agni: Non ſolum igitur peccantium crimina lauit, ſed omnem creaturam

perſe-

perfectiorem reddit: Variis itaq. modis an tiqui Deum effinxerunt, ſed tamen eum agnoſcere non ualuerunt: Iuxta hoc ergo per quirimus an ab hominibus in uita Deus intelligi posſit: Quod quidem licet nonnulli negent ex eo, quia Deus eſt interminata magnitudo, quæ circumſcripta intelligentia percipi nequit; circumſcripti enim ad interminatum nulla eſſe poteſt decempedatrix collatio: Quare nequit homo in uia cogno ſcere Deum: Item per ſimilitudinem inferioris ordinis rerum ſuperiora nequeunt intueri, atqui creata diuinæ eſſentiæ repræſentatiua ſpecies eſt inferioris ordinis, ergo Deũ homini uiatori obiicere non poteſt; at nobis ſecum ſentiendum eſſe rectisſima ratio ſuadet: nam finita ratio cognoſcibilis infinito obiecto terminatiuè, uel obiectiuè ſumpto non repugnat: Nã minime conſurgit ex limi tatione aliqua ex parte obiecti deſumpta, ſed ex parte tantum potentiæ concipientis forma litatem trahit: ideoq; licet Deus ſub finita ra tione obiici non posſit, nempe ſubiectiue ut finitus intelligi, obiectiuè tamen nullo mo-

do vetat: recipitur unumquodq; per modũ recipientis, & dum dicimus Deum ab homine viatore poſſe cognoſci, non tamen intelligimus ſub qualibet ratione apprehenſum, ſed ſub quadam cognoſcibili ratione perceptum: ex his oppoſitæ opinionis tolluntur ambiguitates.

Ad primã enim dicendum, quòd licèt circumſcripta intelligentia interminatam magnitudinem percipi poſſe indecens non nullis uideatur; nobis ſanè decens, & poſſibile probatur; quandoquidem, & beatifica ipſa creati intellectus uiſio, cum circumſcripta, omninoq. actu finita ſit, Dei tamen interminatæ magnitudinis naturam valet repreſentare Beatis.

Ad ſecundam reſpondetur falſam eſſe maiorem propoſitionem, quòd .ſ. per ſimilitudinem inferioris ordinis rerum ſuperiora nõ ualeant cognoſci; nam ſatis eſt ſpeciem creatam, licèt inferioris ordinis exiſtat diſpoſitionem eſſe determinatiuam, uirtutem nempè diſponendi, & determinandi ad hoc, ut idem obiectum a Deo ipſo nanciſci poſſimus, que

mad-

madmodum in ſenſibilibus ſpeciebus appa ret, quæ cum accidentia ſint nihil habent præter determinandi uirtutem: Et ſi verè ſpeculari uelimus, qualis inter accidentia,& ſubſtantiam adæquata poterit unquam reperiri ſimilitudo, ſi ſpeciem adæquatam ſimilitudinem formaliter dicamus obiecti? Addamus etiam,quòd in uno Angelo inferiori ſpecies aliqua habet ſuperiorem repreſentans, cum tamen inferior a ſuperioribus perfectione plurimum cadat; non incongruit ergo inferioris ordinis ſpeciem ſuperioris obiectum per determinantis modum repreſentare: Deus itaq. poteſt à nobis in uita cognoſci,nõ ita diſtinctè, vt deipſo plenam agnitionẽ habeamus,tum quia noſter intellectus nõ ualet Dei pertingere notitiã, tum quia nemo Deũ uidit in hac uita, qui uel eius effigiem,vel eius eſſentiam nobis ſignificare potuerit. De Deo inquit enim Ioannes, Deum nemo uidit unquam,ex mutua tamen erga nos charitate Deum in nobis eſſe cognoſcimus, atq. id rectè quippe cum multa ſint,quæ licet videri nequeant,ex operationibus tamen

eſſe percipiuntur; quemadmodum enim anima, quamuis eam non uideamus, ex eius operationibus, & motionibus nobis ineſſe intelligimus: ſic Dei quoq; erga nos charitatē, quaſi ex quodam motu, & operatione cognoſcimus, eum tamen uidere nequimus: Nam Deus non poteſt uideri in diuina eſſentia à Creatura: Hinc dixit ipſe exodi *33.* non uidebit me homo, & uiuet; & Ioannes Chriſoſtomus, ſolus filius, & ſpiritus Sanctus Deū uidit, quomodo autem qui creabilis eſt poteſt videre increabilem? nam talis eſt Diuinæ eſſentiæ fulgor, ut ipſum creaturą naturalibus viribus, nequeat intueri: Vnde niſi Angelo eſſet à Deo lumen gloriæ infuſum, nec ipſe poſſet per ſua naturalia diuinam eſſentiam uidere, & licet videat, & apprehendat, non tamen comprehendit: Nam ſolus Deus ſe totum, & totaliter uidet, & comprehendit, & ex eo patet Deum ex puris naturalibus uideri non poſſe; ut apertè dicit D. Auguſtinus in libro de uidendo Deo; & Apoſtolus ait, quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit

Deus

Deus diligẽtibus ſe; cuius rationem aſſignat Riccardus in quarto d. 49. art. primo. q. vi. quia, inquit, nihil cognoſcitur, niſi per illud, quod cognitum eſt in cognoſcente per modum cognoſcentis.

Deum cognoſci non poſſe. Cap. II.

QVAM profundum pelagus, quàm uaſtisſimum mare ſim ingreſſus, quum de Dei ſermone initiũ ſumpſerim, ex eo unicuiq. patere poteſt, quòd Magnus Baſilius in ſua homilia de fide inquit, res diuinas ſermone proſequi, ac explanare audax facinus exiſtit, quũ intelligentia quidem noſtra multa menſura à rerum dignitate decidat, rurſus autem ſermo intellecta etiã obſcurè producat, ac proponat: Si igitur intelligentia noſtra rerum magnitudine multo eſt inferior, ſermo uerò etiam infra intelligentiam exiſtit, quomodo

non

non neceſſarium eſt ſilentium, ne quando in uerborum tenuitate Theologiæ miraculum periclitari uideatur? Hinc qui de Deo dicturus eſt quomodo ſe debeat præparare, ait ipſe Baſilius in eadem Homilia paulo inferius: Tu uerò ſi uoles de Deo dicere quid, aut audire, dimitte corpus tuum, dimitte corporales ſenſus, relinque terram, relinque mare, aerē infra te ipſum pone, præteri horas, temporum ordinationes, terræ ornatus, ſupra æthe rem tollere, penetra ſtellas, & miracula ipſarum, ornatum ipſarum, magnitudines, vtilitates, quas exhibet uniuerſo, ordinis compoſitionem, ſplendorem, ſitum, motum, quomodo inter ſe ſtatum, & diſtantiam habent; vbi uerò hæc omnia ratione penetraueris, & hæc cuncta adimpleueris, quantò maiora ſis aggreſſurus ad Dei cognitionem conſequendam, legito ipſum Baſilium eo loci: Sanè igitur perdifficile, & arduum opus inchoaui; tamen quia glorificandi Deum cupiditas omnibus rationalibus à natura inſita eſt, non ut de eo plenam cognitionem habere præſumam, ſed ut ipſum glorificem, opus proſequar,

quar, me omnibus, qui de Deo ſunt loquuti, inſeriorem eſſe pro firmiſſimo tenens, licet promptitudine circa pietatem alicui par eſſe desſiderem; Nemo tamen eſt, qui de Deo perfectam poſſit agnitionem habere: Nam ſi nullius rei ſcientiam habemus, ut inquit etiam diuus Ioannes Chriſoſtomus in ſuorũ operum quarto tomo Hom. xx. c. 8. in epiſtola ad Corinth. qua ratione quidam in tantam deuenerunt inſaniam, vt Deum ſe cognoſcere certisſimè dicant? quandoquidem, & ſi omnium aliorum certam haberemus cognitionem, neq. ſic etiam habere unquã poſſemus, tanta namq; eius, & aliarum rerũ eſt differentia, quanta nec dici poteſt: Hæc ibi Chriſoſt. oportet ergo cum fide, & religioſa pietate omnia ſuſcipere; & quando forte deficit ſermo, & non poteſt exactè quod molitur exprimere, tũc magis glorificare nos conuenit Deum, quòd talem Deum habemus, qui & intellectum tranſcendit, & cogitationis intuitum: Multa enimuero de Deo intelligimus, quæ eloqui pœnitus non ualemus, multa item loquimur, quæ tamen in-

telligere

telligere non ſumus idonei; ueluti ubiq; Deum eſſe ſcimus, quomodo autem ubiq. ſit intellectu non ita capimus. Quòd ſit etiã incorporea quædam virtus, quæ omnibus ſit cauſa bonorum ſcimus, quomodo autẽ, uel quæ iſta ſit ignoramus: Ecce quòd plura dicimus, & non intelligimus, dixi quippe quòd eſt ubiq;, ſed nõ intelligo: Dico quod eſt ſine principio, nec quid ſit etiam intelligo: Dico quòd filium genuit ex ſeipſo, ſed neſcio qualiter intellectu hoc percipiam, ex quo patet intellectum noſtrum Dei incomprehenſibilia miſteria capere non poſſe: Vnde Baſil. Magnus in ſermone ſuper illa uerba, In principio erat. &c. hæc habet de ipſo loquendo; Nemo eſt, qui non laudet & ipſius magnitudinem, ſimulq. pulchritudinem, & radiorum Symmetriam, & lucis ſplendorem admirans; ſi uerò in eo diligentius, atq; pertinacius intuebitur, & in dies eius aſpectum conſiderabit, non ſolum quæ ſentit in eo deprehendet, ſed etiam oculorum aciem debilitatus abſcedet; Tale quid mihi uideor mente pati ſi de Deo quid ſit requiratur. De Deo

itaq.

itaq. quòd ſit credere debemus, quid verò ſit indagare nequimus; nam à nobis ſolum exigitur, vt eſſe Deum ſciamus, non ut quid ſit indagemus, Quod innuit Apoſtolus ad Hebreos *11*.cum dixit; Credere enim oportet eum, qui ad Deum accedit, quia eſt, & ſic ſatis eſt ad pietatem ſcire Deum: Nam ipſe nō eſt cognoſcibilis natura animæ humanæ, licet ſic cognoſcibilis uolūtate, ut inquit Alex. de Ales in prima q. *2*.art. primo, Hinc Deum eſſe non eſt nobis per ſe notum, ut etiam aſſerit D. Thomas in prima parte quæſt. *2*. art.1. & in primo ſentent. diſt. *3*. q.1.art.*2*. Scotus in primo in eadem diſtinctione *3*. Durandus ibidem diſt. *3*.q.*3*. Riccardus in eodem primo diſt.*3*. q. *2*. ſimiliter Ioannes de Baſſolis in primo diſt.*3*.q *2*.&alii ferè omnes Theologi ſuper eadem diſt. Deum eſſe eſt per ſe notum, inquit Diuus Thomas ſecūdum ſe, & ſecundum naturam rei; ſed non eſt nobis per ſe notum, & vnam præmittit diſtinctionem; .ſ. propoſitionem eſſe per ſe notam bipertito intelligi poſſe: Vno modo ſecundum ſe, & ſic propoſitio eſt per ſe no-

ta, cuius prædicatum eſt de ratione ſubiecti: Alio modo quo ad nos, & ſic non ſufficit prædicatũ eſſe de ratione ſubiecti, ſed oportet nos ſcire quid eſt ſubiecti, per cuius notitiam cognoſcere poſſumus neceſſariam connexionem, & inhærentiam prædicati cum ſubiecto, & quia licet in hac propoſitione, Deus eſt, prædicatum ſit de ratione ſubiecti; tamen quid eſt ſubiecti in ſcientia ſcire non poſſumus; ideo dicit, quòd iſta propoſitio eſt per ſe nota primo modo, non autem ſecũdo modo. Sed iſta Diui Thomæ expoſitio mihi non probatur: Nam nec poſſumus ſcire propoſitionem aliquam eſſe per ſe notam, niſi nobis innoteſcat, quomodo ea propoſitio ſit per ſe nota, quod ſi eueniet, tunc propoſitio illa erit nota non per ſe ſolum, ſed etiam quoad nos, ſecus nõ ualeremus uerè, & ſcientificè affirmare propoſitionem illam eſſe per ſe notam: niſi ſciremus eã eſſe per ſe notam. Quum igitur affirmatur in primo membro diſtinctionis Thomiſtarum, quòd iſta propoſitio, Deus eſt, eſt per ſe nota ſecundũ ſe, uel ipſi affirmãt, quod neſciunt, uel ſciunt

unt eam eſſe per ſe notam, & per conſequens quoad nos erit per ſe nota, quod contradicit ſecundo membro ſuæ diſtinctionis: Nec tamen mihi placet expoſitio eorum diſtinguentium de propoſitione per ſe nota ſapientibus, & per ſe nota omnibus, nam eadem eſt propoſitio; ſimiliter fruſtrà datur diſtinctio illa de propoſitione per ſe noſcibili, & per ſe nota; quia ſicuti non exigitur ut homo actu rideat ad hoc quod ſit riſibilis, nec quòd ſyllogiſmus actu pertractetur ad hoc ut dicatur neceſſariò concludens; ita non oportet ad hoc ut propoſitio dicatur per ſe nota, quod actu cognoſcatur. Dicimus ergo Deum eſſe (ablatis illis diſtinctionibus) non eſſe nobis per ſe notum, ſed ſola fide tenendum; & quòd nobis non ſit per ſe notũ patet, quia propoſitio per ſe nota eſt illa, quæ ſtatim habet euidentiam, & nata eſt habere apud intellectum benè diſpoſitum ex notitia ſuorum terminorum: Cum ergo nos unius termini, nempè Dei in hac propoſitione euidentiam non habeamus, neq. etiam propoſitio iſta nobis poteſt innoteſcere; & licet di-

cat Diuus Bonau: quòd Deus, cum ſit ſumma lux ſummè intellectum noſtrum complens, clariſsimè à nobis eſt cognoſcibilis, hoc verum eſt de ſe, non autem ex parte noſtri, quia impedimentum in nobis intercedit ex defectu a parte uirtutis cognoſcentis, qui quidem non tollitur perfectè, niſi per Dei informationem gloriæ.

De Potẽtia Dei philoſophorum opinio. Cap.III.

CVM de Deo contemplationem ſimus auſpicaturi, dũ omnia ab ipſo creata, ab ipſo conſeruata, ab ipſo deniq; aucta conſpicimus, meritò eius potentiam, atq. virtutem nobis ante oculos ſpeculandi ſeſe offert occaſio. Ab illius ergo potentia ab illius virtute, quæ uirtutum omnium eſt principium, & origo contemplationem incipiamus. Philoſophi tanquã illi, qui nitidiſsimo fidei lumine carebant

bant

bant in tenebris immerſi, infinitam Summi motoris potentiam, & uirtutem minimè attingere valuerunt, hinc illum finitæ uirtutis naturalibus rationibus eſſe oſtenderunt: Ariſt. & eius commentator Auerr. in 2. Cæli *com. 38.* & *com. 39.* & 71. tali ratione, potentiam ipſius finitam aſſeruerunt, quia ſi eius Potentia eſſet infinita in uigore mouendi, non eſſet proportio inter motorem, & tēpus motionis, quod ſi ita tunc motus localis in inſtanti proueniret.

Quod etiam 2. Ariſtotelis auctoritate cōprobatur, Ipſe enim in primo Phyſ. *tex. 35.* ponit infinitum nobis eſſe ignotum, quare ſi Deus foret virtutis infinitæ, non poſſet homo in intuitiua Dei cognitione felicitari, quod eſt contra Peripatheticos primo, & x. Ethic.

Tertio id etiam per hoc confirmatur; Nobis enim naturaliter inſitum eſt nole entia malè diſponi xii. Metaph. & vi. Ethic. *cap. 1.* Deus eſt ſanus, in quo non eſt additio, neq. diminutio, Ideo nihil eſt in Deo, quod dicatur imperfectum, & ſic quòd omne fini

tum.

rum ad aliquid extra ſe finiatur eſt famoſum & falſum 3. Phyſ. *com. 31.* quia natura reſpuit infinitum xv. de animalibus, & primo de Generatione, *com.* 16. & tertio Phyſ. *tex.* 35. Ideo Deus cum finitate ſua eſt perfectior omni ente: Qui tamen infinito tempore mouens non eſt perfectionis infinitæ, quia non eſt nobilior albedo unius anni, quã albedo unius diei, Ariſtoteles primo Ethic. c. vii. Et licet ſint infiniti effectus in humanis, non tamen oſtendunt uirtutem infinitam, quia ſpecies ſunt in numero determinato quoad naturam, nam quarumlibet differentiæ ſunt finitæ. 3. Metaph: *com. 11.* neq. in infinitum multiplicabiles ſunt à natura. Omnes enim Creaturæ mortales aut in aere, aut in terris, aut in aquis degunt & quia hæc tria elementa maximè concurrunt ad mundi conſeruationem non niſi cum debita proportione, & cuncta habent eſſe in numero, & in menſura, ideo nonnulli ex antiquis tot ſpecies creaturarum in uno elemento, ſicut & in altero reperiri uoluerunt; ſed non ob id earum numerum explicare ſunt profeſſi, Plinius,

nius, qui rerũm naturas indagauit, inquit nõ ualuiſſe nec eorũm animalium; quæ in aere, nec eorum quæ in terris vitam ducunt ſpecies numeratæ, ſed ſolum eorum, quæ in aquis uiuunt commemorauit, quas centum, & ſeptuaginta ſeptem numero conſtituit; Quod ſi uerum eſſet, & ſi ſapientibus antiquis eſſet credendum, ſpecies anomatæ, & ſenſitiuæ, conſtituendo in quolibet horum trium elementorum centum, & 77. ſpecies, complerent numerum quingentarum triginta & unius ſpecierum; Plato in Timeo refert totum mundum ad uiginti, & ſeptem capita reduci, poſtmodum uerò ad centum, & ſexaginta duo aſcendere, & demum ad decẽ mille, tercentum, & ſexaginta octo ſpecies; In his quieſcendo, quia indiuidua ſunt infinita, ſic itaq́. patet per omnes ſpecierum numerum eſſe determinatum, & licet Ariſtoteles viii. Metaph. *tex.co.x.* dixerit quòd ſpecies rerum ſunt ſicut numeri, non tamen intellexit ſpecies eſſe in infinitum multiplicabiles ſicut numeri, uerum hoc uoluit ſignificare, quod ſicuti nõ dantur duæ numerorum

ſpecies

ſpecies æqualiter ab unitate diſtantes, ſic nec duæ ſpecies dantur æquidiſtantes à non gradu entis, & etiam ſicuti quacunq; unitate addita, uel remota uariatur numerus, non ſecus ac quacunq; differencia eſſentiali adiecta, uel ſubtracta non remanet eadem ſpecies (ut patet ibidem) & quemadmodum minorem cō tinet maior numerus, ita una ſpecies eſt continens aliam in perfectione, quod tamen eminenter intelligendum eſt, Et ut minor numerus in maiori numero includitur non actualiter (pars .n. quantitatiua eſt in toto in potentia) ſic etiam ſpecies imperfecta in ſpecie includitur perfectiori, ſed nō actualiter, Quare quemadmodum in numeris in infinitum aſcendimus, ſic etiam in ſpeciebus aſcendere licet, Et quia numerorum diuiſio in infinitū minimè procedit, ſic neq; deffinitionum diuiſio, & cum etiam in numeris non detur neq. maius neq. minus, ſic multæ ſunt formæ non ſuſcipientes magis, neq. minus. Sed hoc unicum rectè perpendendum eſt, quod quamuis numerus ex ratione numeri ſit in infinitum multiplicabilis, nō tamē ex ratione

rei numeratæ multiplicabilis in infinitum eſſe poteſt: Vnde, ſi infinitæ erunt reuolutiones; non tamen in infinitum reuolutiones multiplicabuntur: Sed redeundo ad rationes Philoſophorum;

Quarta eorum hæc eſt ratio, fruſtra eſt illa potentia actiua, cui paſſiua potentia non correſpondet, ſed ſi potentia diuina actiua eſſet infinita, nulla ei correſponderet potentia paſſiua in natura, ergo fruſtra eſſet Diuina Potētia infinita, quod eſt abſurdum: Minor patet, quia inter diuinam potentiam actiuam, & naturalem paſſiuam nulla eſſet proportio, præter eam, quæ inter infinitum, & finitum dari poteſt.

Quinta ratio, Quælibet Potentia manifeſtatur per ſuum effectum, ſed Deus nequit producere effectum infinitum, ergo Dei potentia non eſt infinita.

Sexta ratio, omne diſtinctum eſt finitum, Dei Potentia eſt diſt.ª ab aliis, ergo finita.

Septima ratio, Nullum perfectum debet à Deo remoueri, ſed cum triplex ſit finis, nēpe magnitudinis, ut punctus, perfectionis, ut

E forma,

forma, Intentionis, ut cauſa finalis, & cum primus qui eſt magnitudinis Deo tribui nequeat, cum nulla ſit quantitas in illo, & cum reliqui duo dicant perfectionem, ergo non debent à Deo remoueri, ergo Deus eſt finitæ potentiæ.

Octaua ratio deducitur ex Ariſtotele in tertio Phyſ. ubi inquit infinitum eſſe partis, & materiæ, quæ imperfectionis ſunt, & Deo minimè conueniunt, ergo nec infinitum eſt in Diuina potentia;

Nona, & ultima ratio ſimiliter elicitur ex eodem loco citato, ubi habemus terminum neq; finitum, neq; infinitum eſſe, ſed Diuina Potentia eſt omnium rerum terminus, ergo non eſt infinita.

Deum ex nihilo aliquid facere nequire. Cap. IIII.

NEGANTES itaq́. Philoſophi (his rationib') Deū eſſe infinitæ uirtutis, negant & ex conſequenti ipſum ex nihilo aliquid facere poſſe; Vult enim Ariſtoteles, & omnes Philoſophi cum eo, ſemper in generatione aliquid ſubiici, nēpe materiam, cui fieri attribuitur, in quo ipſum fieri recipitur, & propterea ex nihilo nō poteſt aliquid fieri, tanquam ex materia, neq́; poſt nihil; Quod autem ex nihilo tanquam ex materia aliquid fieri non posſit; ſic probant. Quia ſi hoc eſſet, tunc nihil eſſet pars ētis (quod eſt impoſſibile) quod hoc ſequeretur patet, quia ſi ex nihilo fieret aliquid tanquam ex materia, neceſſe eſſet ipſum nihil remanere in re facta tanquam eius partem, materia enim ſemper remanet in compoſito tanquam pars principalis illius.

Secũdo hãc rationẽ adducũt, Nihil appetit ſuũ oppoſitũ, ergo nihil nõ appetit eſſe, quod eſt eius oppoſitum, & per conſequens illud minimè recipit, nam ſi nihil reciperet eſſe, tunc nihil reciperet eſſe facti.

Tertio negãt Philoſophi ex nihilo .i. poſt nihil aliquid poſſe fieri, Quia illud quod fit, potuit eſſe antequam fieret, ſed illa potentia ad eſſe eius quod fit, eſt in aliquo ente, ergo non fit poſt omnino nihil. Probatur maior, quia ſi id, quod fit non potuit eſſe antequam fieret, ergo fuit impoſſibile eſſe, & ſic nunquam erit. Comprobata igitur uera hac maiori propoſitione, ex iſtius ueritate cõſurgit probatio minoris, nam potentiam illam ad eſſe eius, quod fit, impoſſibile eſt eſſe in non ente, quia non ens, omnino non habet potentiam ad eſſe, quia ſi ſic aliquando eſſet ens, ergo ex nihil .i. poſt omnino nihil aliquid fieri minimè poteſt:

Quòd etiam quarto probatur; Nam ſi aliqua fierent ex nihilo, uel ea eſſent ſubſtantiæ, uel eſſent accidentia, ſi ſubſtantiæ, omnes ſubſtãtiæ fiunt ex aliquo (ut patet diſcurrendo

rendo, nam plantæ fiunt ex ſemine, animalia ſimiliter fiunt ex ſemine, & aliæ quæq; ſubſtantiæ ſuo modo fiunt ex aliquo, ſi accidẽtia, Accidentia cuncta requirunt ſubiectum, & nequeunt ſine ſubiecto exiſtere, ergo clarè patet omnia fieri ex aliquo, ex nihilo nihil fieri ualere.

Hinc notemus unà cũ Ariſtotele in Phyſicis tres tantum dari tranſmutationum ſpecies (Quæ quidem Auctoritas nobis pro ultima inſeruiat ratione) Prima tranſmutatio fit de non ſubiecto in ſubiectum, & eſt generatio, ſecunda eſt de ſubiecto in non ſubiectum, & eſt corruptio; tertia, & poſtrema eſt de ſubiecto in ſubiectum, & eſt alteratio; Quarta uero tranſmutatio .ſ. de non ſubiecto in non ſubiectum, non datur, ergo manifeſtè apparet ex nihilo nihil fieri.

De

De Potentia Dei. Theologorum ſententia Cap. V.

PHILOSOPHIS Dei uirtutem finitam affirmantibus aduerſantur Sacri Theologi, qui quidem & optimè, & melioribus rationibus, & magis piè omnipotenti Deo infinitam potentiam, infinitam virtutem, infinitumq. tribuunt uigorem: Hoc primo teſtificatur D. Auguſt. in lib. quæſt. uet. ac nouæ, legis, ubi profitetur, omnia quidem poſſe Deum, & ea etiam cuncta facere ſimul, niſi id ratio prohibuiſſet; Cum itaq; omnia poſſe non ſit finitæ potentiæ munus, ſequitur Deum eſſe infinitæ potentiæ.

Secundo id comprobatur per Hilarium, qui viii. de trinitate hæc eadem habet uerba, Deus eſt immenſæ uirtutis.

Tertio confirmatur auctoritate Damaſceni, qui Deum uocat æternum, independentem,

dentem,& omnino incircunſcriptibilem,ergo ex his omnibus auctoritatibus clarè patet ſummum motorem eſſe infinitæ uirtutis. Et ſi plures requirantur auctoritates legatur Pſalmus *144*, ubi pſallitur, magnus Dominus,& laudabilis nimis,&magnitudinis eius non eſt finis, legatur Pſalmus *134*, omnia quæcunq; uoluit Dominus fecit in cælo,& in terra,in mari, & omnibus abyſſis; videntur hæc eſſe opera finitæ potentiæ, finitæ uirtutis,finitiue uigoris? Imo ab infinitisſima potentia emanant, ab immenſa virrute proueniunt,& ab incomparabili uigore proficiſcuntur; Quæ quidem potentia,quæ uirtus, qui uigor ex hoc maxime eliciuntur,quia nihil ſe ipſo finitur, ſed aliquo alio, ſicut materia per formam, & è conuerſo forma per materiam, & eſſentia per eſſe,& eſſe per eſſentiam, ſed Deus non habet eſſentiam ab eſſe diſtinctam, ſed eſt ſuum eſſe ſubſiſtens, nam ponimus in Deo ſubſtantiam, & eſſe,ſed ſubſtantia conſideratur,uel eſt in Deo ratione ſubſiſtentiæ, nō autem ratione ſubſtandi, eſſe uerò ratione ſimplici-

ſimplicitatis,& cõplementi,& nõ ratione in hærẽtiæ,qua alteri inhæret; Sic etiã attribuimus Deo operationem ratione ultimi complementi, non ratione eius, quod operatio tranſit, Potentiam uerò attribuimus ratione eius, quod permanet, & quod eſt principiũ eius,nõ ratione eius, quod per operationem completur,quæ quidem potẽtia dicitur principium,non quia ſit ipſa relatio,quam principii nomen ſignificat,ſed quia eſt id, quod eſt principium, quæ quidem relatio non eſt niſi rationis tantum:Eſt autem de ratione operationis habere principium,non tamen de ratione eſſentiæ: Quamobrem licet diuina eſſentia nullum habeat principium uel re, uel ratione, tamen diuina operatio habet aliquod principium ſecundum rationem; Et eſt de ratione operationis habere pricipium non de ratione eſſentiæ, unde licet eſſentia diuina non habeat aliquod principium neq. re,neq. ratione,tamẽ operatio diuina habet aliquod principium ſecundum rationem. Quibus ſic prælibatis ut aliquam de Dei potentia cognitionem habeamus,Iam rationes

aggrediamur,

aggrediamur, quib⁹ confirmari poteſt Deum eſſe infinitæ virtutis: Eius virtutem finitam eſſe in gratiam Philoſophorum in ſuperiori præcedente cap. nouem argumentis affirmauimus: nunc totidem rationibus eam infinitam eſſe ad Theologorum aures aſſeueramus.

Primam itaq. rationem ex infiniti diffinitione deſūmimus, nā infinitū per Damaſcenum eſt illud, quod neq. tempore, neq. loco, neq. comprehenſione finitur, ſed hoc potentiæ Diuinæ competit, ergo Diuina potentia eſt infinita.

Secunda ratio, quam refert Hilarius hæc eſt; Deus immenſæ uirtutis, uiuens poteſtas, quæ nuſquam non adſit, nec nuſquā deſit, ergo Deus eſt infinitæ potentiæ.

Tertia ratio, vna perfectio ſimpliciter eſt alteri compoſſibilis, ſed infinitas eſt perfectio ſimpliciter, ergo eſt Deo compoſſibilis, Deus enim eſt perfectio ſimpliciter: Minor huius rationis ex eo cōprobatur, quod perfectio ſimpliciter eius eſt naturæ, ut in quocunq; ſit melior ipſa quam non ipſa; ſed in-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

finitas eſt huiuſmodi, ergo.

Quarta ratio; in nulla perfectione ſimpliciter ĩcluditur ĩperfectio, ſed finitas eſt imperfectio; Patet, quia quanto aliquid eſt limitatius, tanto eſt imperfectius; ergo in Deo nulla repetitur finitas, ergo eius potentia infinita.

Quinta ratio; Nullum prohibitum eſt perfectius non prohibito; ſed ſi infinitum eſſet, eſſet perfectius finito, ergo infinitum nõ eſt prohibitum.

Sexta ratio, Quanto aliquid eſt propinquius non enti, tanto eſt imperfectius, ſed quanto aliquid eſt limitatius, tanto eſt propinquius non enti; ergo limitatio dicit imperfectionem, ergo ne in Deo cadat imperfectio, eius potentia non eſt limitanda.

Septima ratio, Omnis cauſa continens infinitè multos effectus eſt infinita, ſed Deus eſt cauſa infinitè multos effectus continens, ergo eſt cauſa infinita, ergo infinitæ potentiæ.

Octauam rationẽ à regula illa topica exhaurimus, ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimplicia, ita magis ad maiora, & maxime ad maxima: Qua ſic ſtante ita argumentor, ſicuti

multa

multa potens intelligere eſt multæ perfectio nis, ita maiora potens intelligere eſt maioris perfectionis, & infinita potens intelligere eſt infinitæ perfectionis, ſed ſi homo quia poteſt multa intelligere eſt multæ perfectionis, & Angelus quia poteſt maiora intelligere eſt maioris perfectionis, ergo & Deus, qui poteſt infinita intelligere, & uno ſolo intuitu intelli git, erit perfectionis infinitæ, ſed perfectio eſt ſuprema virtus, ergo cum ſit infinitæ perfe- ctionis, erit & infinitæ uirtutis.

Nona & ultima ratio hæc eſt, ſi omnis finis eſſet finitus; aut in finibus procederetur in in finitum, aut daretur circulus, ſed conſequens eſt impoſſibile, ergo & antecedens, deuenien dum erit itaq; ad infinitum finem, tum ut in finitus vitetur proceſſus, tum etiam ut circu- lus omnino abolleatur; Hic autem infinitus finis nil aliud præter Deum glorioſum eſſe po teſt, ergo Deus eſt infinitus finis, ergo infini- tæ erit uirtutis, nam ſicuti à bono non niſi bonum, ita ab infinito non niſi infinitum: Cui tamen, (& hoc notatu dignum) compe tit infinitum negatiuè, non autem priuatiuè,

Deo enim competit illud infinitum, quod non habet finem, non autem id, quod natũ eſt habere, & non habet. Deus itaq; (ut ſatis comprobatum iam eſſe uidetur) eſt infinite potentiæ, & hoc uno ſecundum aliquos priuatur, quia facta nequit reddere infecta.

Solutiones Theologorum ad Argumenta Philoſophorum. Cap. VI.

SATIS, ſuperq. Philoſophorum placita, atque Theologorum ſententias de potentia ſummi motoris recitauimus; Nũc uerò Theologorũ (ut par eſt) partes ſummentes, oppoſita à Philoſophis argumenta ſingulis reſponſionibus de medio tollere oportet.

Quod ſtatim aggredientes, primum eorũ ſoluentes urgens oppoſitum, duplex eſſe infinitum

finitū reſpondemus: Vnum in magnitudine, Alterum extra magnitudinem, Demonſtratio illa de proportione temporis, & potē tia mouentis procedit de potentia infinita in magnitudine, quæ proportionatur infinito temporis, cum ſit unius determinati generis .ſ. continuæ quantitatis, non autem de infinito extra magnitudinem, quod non eſt proportionabile infinito temporis, ut potè alterius rationis exiſtens: Vel etiam reſponderi poteſt, quòd Deus ipſe, qui eſt agens uoluntarium; menſurat motum illius rei, quæ ab eo mouetur, ſicut uult.

Ad Secundum reſpōdetur cum Philoſopho in *3.* phyſ. *contex. 63.* Infinitum tenēs ſe ex parte materiæ eſſe ignotum, Infinitum autem actuale poſſe eſſe cognitum, licet non comprehenſum, & iſto modo Deus eſt infinitus, & cognitus, & poteſt intellectus noſter, & anima noſtra in intuitiua Dei cognitione felicitari, cum eius infinitatem intelligat, atq. cognoſcat.

Ad Tertium concedimus auctoritatem, Philoſoph. in xii. Metaph. v. nobis naturali-

ter

ter inſertum eſſe nolle entia male diſponi, & etiam in Deo nihil eſſe imperfectum, ſed nec ob id ſequetur, quod infinitas dicat imperfectionem, imò perfectionem ſignificat, nam quanto naturæ ſunt materiæ uiciniores, tanto ſunt imperfectiores, ſed quodlibet finitũ finitam habet diſtantiam ad materiam, ergo imperfectum, & non niſi quia finitum, ergo finitas dicit imperfectionem, & ſic oppoſitũ eius ſ. infinitas perfectionem ſignificat; Et quando dicitur natura reſpuit infinitum, Reſpondetur, hoc uerum eſſe in cauſis, nempe non eſſe dandas infinitas cauſas, ita ut in illis ſequatur proceſſus in infinitum, ſed non reſpuit natura infinitam unam ſupremam, ſolam cauſam, quæ ſit infinitæ uirtutis.

Ad Quartum reſpõdetur uel nos loqui de rebus naturalibus, pro ut ſunt coordinatæ ad inuicem, uel pro ut coordinãtur ad Deũ; ſi primo modo, ſic fruſtra eſt in natura actiua potentia naturalis, cui paſſiua naturalis potentia non correſpondeat, ſi uerò res naturales conſiderentur ſecundo modo, tunc hæc correſpondentia non requiritur; Deus enim

glo-

glorioſus eſt extra ordinem rerum natura-lium, imo eſt ille ad quem totus iſte ordo naturaliũ rerum ordinatur, tanquã ad bonũ extrinſecum, ut exercitus ad Ducem, ſecundum Philoſophum xi. metaph.

Ad quintum reſpondetur, quod ratio facti, ſeù effectus, uel rei creatæ repugnat infinito, nam ex eo ipſo, quòd ex nihilo fit, aliquem patitur defectum, & eſt in potentia nõ actus purus, & ideo non poteſt æquari factũ primo infinito, ita ut ipſum quoq́. ſit infinitum: Vel reſponderi poteſt, duplex eſſe agẽs (unà cum D. Thoma) *in prima parte Summæ q. xxv. art. 2.* aliud uniuocum, aliud nõ uniuocum, Potentia agentis uniuoci tota manifeſtatur in ſui effectus productione, ſed potentia agentis non uniuoci non tota manifeſtatur in ſuo effectu; Deus non eſt agens uniuocum, & ideo effectus ipſius ſemper eſt minor, quã ſit eius potentia, & licet nullum produceret effectũ, tamen nõ propterea Dei potentia eſſet fruſtra, fruſtra enim id eſſe dicitur, quod ad aliquem finem ordinatur, quẽ poſtea non attingit, ſed potentia Dei non or-

dinatur

dinatur ad effectum, tanquã ad finem, ſed ipſa potius eſt finis ſui effectus.

Ad Sextum reſpondetur duplex eſſe diſtinctum, ſiue aliquid poſſe eſſe diſtinctum ab aliis dupliciter, vno modo per aliud ſibi adiunctum, ut homo diſtinguitur ab equo, nõ per ſe ipsũ, ſed per aliud (vt puta) per rationalitatem ei adiunctam, & hoc vtiq oportet eſſe finitum, quia illud adiunctum determinat ipſum ad aliquid: Alio modo aliquid dicitur eſſe diſtinctum ab aliis per ſe ipſum, ſicut eſt Deus, & hoc diſtinctum non oportet eſſe finitum, neq. aliquid quod in ipſo ſignificatur, & proinde Deus Opt. Max. dicitur eſse diſtinctum ab aliis per ſe ipſum, quia illi aliquid addi eſt impoſsibile.

Ad ſeptimum argumentum dicitur, finem perfectionis Deo attribui poſſe intelligi dupliciter, primo, quòd ipſe eſſentialiter ſit finis, ſecundò quòd ſit denominatiuè finitus, ſecundo modo finis eſt à Deo remouendus, ſed primo modo illi attribui poteſt.

Ad octauum reſpondemus duplex eſſe infinitum (ut diximus in præcedentibus cap.)

unum

unum eſt infinitum negatiuè dictum, alterũ verò priuatiuè dictum: Infinitum negatiuè eſt illud, quod nõ habet finem, Infinitum verò priuatiuè eſt illud, quod natum eſt habere finem, ſed non habet: Quando itaq; dicitur, Infinitum eſt partis, & materiæ, procedit ratio illa in infinito priuatiuè, ſecus in infinito negatiuè dicto, quod Deo competit, parti verò, & materiæ non poteſt conuenire.

Et hac eadem diſtinctione reſpondetur; Ad nonum, & vltimum argumentum, procedit enim in infinito priuatiuè.

Vnde notandum, Infinitum priuatiuè dictum in ſolis quantitatibus exiſtere, non autem in Deo, & hoc infinitum priuatiuè repugnat ſimplicitati, non tamen infinitum negatiuè dictum. Quibus ita de medio ſublatis apertiſſime apparet firmisſimam, & uerisſimam Theologorum eſſe ſententiam de infinitate Diuinæ potentiæ;

G Deum

Deum ex nihilo aliquid facere poſſe Theologorum ſententia. Cap. VII.

HOC etiam Sacri Theologi cõtra Philoſophos, & optimè aſſeuerant, quod ex nihilo aliquid ipſum facere poſſe profitentur, ſed quoniam hoc in naturali uia firmiter non teneri poſſe comunis cenſet opinio, ideo quia hoc ſolum ex fide tenendum, huiuſmodi quæſtionem ſilentio inuoluemus, Eam namq. diſputationem ingredientes neceſſe eſſet de mundi æternitate, uel de eius creatione pertractare; idcirco quia id ſuo loco in hoc opere diſcutiemus, et quia etiam de Creatione in libris de duplici vniuerſæ naturæ fundamento à nobis in lucem editis verba fecimus, propterea ibi ad ſecundum librum noſmet pro nunc referentes, ad inchoata redibimus: Et cum in fine cap. 4. huius libri, ſecundum opi-

nionem

nionem Philoſophorum dixerimus accidentia ſine ſubiecto nuſquã exiſtere ualere, minime prætermittendum puto & Theologos, & fideles huic opinioni non aſſentire, imo unanimes totum aſſerunt oppoſitum, Nãq; in Cœleſti Sacrameuto altaris (per magiſtrum Sent. *lib. 4. diſt. 12.* & omnes Doct.) accidentia utiq; remanent ſine ſubiecto, ibi enim non eſt niſi ſubſtantia corporis, & ſanguinis Dominici, quæ quidem talibus accidentib', nẽpe pondere, ſapore, & aliis affici nullo modo poteſt, remanent tamen ipſa accidentia ad ritum miſterii, & ad fidei ſuffragium, nec non propter guſtum, quod Philoſophi ſine fidei lumine nõ ualẽt attingere; Quod ſi percipere poſſet, profecto faterẽtur Dei infinitiſſimam, nedum infinitam eſſe uirtutẽ, quod tandem mihi alio medio argumentando de eſſe ad poſſe, placet comprobare.

In Diuinis (ut paret apud omnes Theologos) minime differt eſſe a poſſe, ſed Deus eſt infinitus, Dei eſſentia eſt infinita, ergo Deus eſt infinitẽ potens, ergo Dei potentia eſt infinita: Sed non differre in æternis

ſimus, cum ipſe omnium perfectionum nobilitatem comprehendat, de eius intellectione, ſeù cognitione nunc ſumus uerba facturi. Per deuia teſqua tenebris oppreſsi Philoſophi errantes ampliſsimam Dei cognitionẽ omnino negauerunt, & ſe ſolum ipſum intelligere, & à ſe nihil aliud affirmare non dubitauerunt, & hoc multis quidem mediis cõprobare, & quam plurimis auctoritatibus confirmare contenderunt.

Et primo per Auer. in libello de animæ beatitudine dicẽtem, Nõ eſt alia natura, quæ apprehendat intelligibilia (intelligo intelligibilia materialia) niſi homo, ergo Deus hæc non cognoſcit, & ex conſequenti ſe ſolum intelligit, cum materialia non apprehendat.

Secundo argumentantur unà cum Ariſt. in xii. Metaph: *tex. 51.* & ibidem cum comentatore. Nobilius non intelligit minus nobile, ſed intellectus in actu eſt nobiliſsimus, ergo non intelligit ſe minus nobile, ſed Deus eſt intellectus in actu, ergo ſi aliud à ſe intelligeret, uel illud eſſet nobilius, uel minus nobile, non primo, quia Deus eſt in emi

nentiſſimo

nentiſſimo gradu nobiliſſimus, quare nil eo nobilius eſſe poteſt, ſi ſecundo ergo per auctoritatem Philoſophi, & Comentatoris illud non intelligit, & ſic habetur intentum, nempe Deum nil aliud à ſe intelligere.

Tertio deſumunt argumentum ex Auerr. in 3. de anima, *com. v.* ubi hæc aſſerit, omne intelligens multa intelligit aliqua, quæ ſũt cauſa ipſius, ſed Deus non poteſt intelligere aliqua, quæ ſint cauſa ipſius, hoc enim eſſet fatuum dicere, ergo multa non intelligit, ergo ſolum ſe ipſum.

Quartam erigunt rationem hoc pacto, Nulla potentia intelligit aliquid extra ſuum adæquatum obiectum, ſed obiectum adæquatum intellectus Diuini eſt Diuina eſſentia, ergo extra diuinam eſſentiam nil aliud Deus intelligit, & ſic nil aliud à ſe. Probant maiorem propoſitionem exemplo uiſiuæ potentiæ, quæ cum adæquatum habeat obiectum, ſcilicet colorem, non uidet aliud niſi coloratum, ergo intellectus diuinus cum habeat obiectum adæquatum, nempe diuinã eſſentiam, nõ intelliget aliud, niſi ipſammet

diui-

diuinam eſſentiam.

Quinto ſic ratiocinantur ex Ariſtotelis au ctoritate in primo Ethicorũ, ſicut eſt in corpore uiſus, ita eſt in anima ĩtellectus, ſed quia obiectum adæquatum diuini intellectus eſt diuina eſſentia, ergo Deus nil intelligit aliud à ſe, cum etiam præter ſuum adæquatum obiectum nil uideat uiſiua potentia.

Sexta ratio eſt Philoſophi in 3. de anima aſſerentis, ſcientiam ſe habere ad animam intellectiuam, ſicut ſe habet pictura ad tabulam, unde inquit anima in principio ſuæ creationis, antequam intelligat ſe habet ſicuti tabula raſa, in qua nihil eſt depictum; ſed eandem tabulam impoſſibile eſt figurari ſimul diuerſis, & pluribus picturis, uel figuris, ſeù lineamentis ſecundum eandẽ tabulæ partem, ergo ſic etiam uidetur impoſſibile, quod intellectus, cum ipſius ſciẽtia ſit ſua met diuina, eſſentia ſimul poſſit multa intelligere.

Septimo argumentantur, ſi Deus intelligeret omnia; ergo etiam uilia quæcunq; cognoſceret; ſed hoc eſt abſurdum, ergo non omnia

Nono,& ultimo ita argumentãtur, Deo ſemper eſt attribuendum id, quod eſt excellẽtius,vel melius,& nobilius,ſed aliqua ſunt tã uilia, quod melius eſt ea neſcire,quam ſcire, ſicut ait D.Aug.in Enchiris: eo quòd ex huiuſmodi ſcientia accipitur occaſio peccandi, ergo non eſt attribuendum Diuinæ maieſtati ſcire omnia,etiam uilia;Et hæ ſunt ex principalibus rationibus,quæ in Philoſophorum gratiam ad eorum comprobandam opinionem(ut cenſeo) adduci poſſunt. Nunc ad Theologorum iis oppoſitam ſententiam trãſeamus.

De cognitione Dei Theologorum profeſſio. Cap.IX.

QVONIAM de omnipotentis Creatoris Dei cognitione non parua eſt controuerſia inter Philoſophantes, & ſacros Theologiæ profeſſores, ideo diffuſè ad aures Theologorum de

ea in præſenti capite diſſeremus. Tenent Sacri Doctores Deum benedictum omnia cognoſcere; & his quidem auctoritatibus adducti:

Primo Prophetæ in pſalmo CXXXVIII. Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua,

Secundo in pſalm. CXII. Quis eſt ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra?

Tertio fauet auctoritas Geneſeos primo, vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant ualde bona.

Quarto eſt auctoritas Hieremiæ in cap. XVII. Ego Dominus ſcrutans corda, & probans, renes, qui do unicuiq. iuxta uiam ſuam:

Rationibus etiam quàm pluribus illud idem probare non deſiſtunt, ſed nouem tantum potiores, quas ego partim ex ſacris auctoritatibus, paſſim hinc inde collectis deduxi, partim ex optimis quibuſq; auctoribus legendo dicerpſi, in medium afferam;

Quarum prima hæc eſt: Ariſt: Ethic. v.

cap.

cap. 2. nos docet orare Deum, ergo Deus cognoſcit hæc inferiora, & contingenter agit: conſequentia ex ſe patet, aliter enim fruſtraretur tempus, & opus.

Secunda ratio, concedit Ariſt in libello de bona fortuna Deum cognoſcere futura, ergo omnia cognoſcit: conſequentia eſt iam deducta, omnia namq; antequã fiant ſunt futura.

Tertia ratio. Omne perfectisſimè cognoſcens aliquam naturam, ſufficienter cognoſcit quæcunq. de illa ſunt demonſtrabilia, ſed Deus cognoſcit ſe, & de ipſo demonſtrabilia ſunt non eſſe corpus, non habere materiam partem ſui, non eſſe compoſitum, &c. Et hæc ſine cognitione horum inferiorum non poſſunt cognoſci, ergo Deus omnia cognoſcit.

Quarta ratio, Quicquid virtus inferior cognoſcit, cognoſcit & ſuperior, ſed Intellectus posſibilis inferiora cognoſcit, ergo & diuinus.

Quinto, Habemus in libris actuum Apoſtolorum, quod cum Iudas præuaricatus

eſſet, ſimul Apoſtoli conſuluerunt, dicentes, oportet ex his uiris, qui nobiſcũ cõuenerũt in omni hoc tempore, quo ingreſſus, & egreſſus eſt ad nos Dominus Ieſus à Ioãnis baptiſmate incipiẽs ad eũ uſq. diẽ, quo à nobis aſſumptus eſt, ex his inquã unum teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri, & ſtatuerunt duos Ioſeph, qui uocatur Barſabas, qui cognominatus fuit iuſtus, & Matthiam, & cum oraſsent, dixerunt; Tù Domine cordis cognitor oſtendi quẽ elegeris ex his duobus vnũ, vt ſortem miniſterii huius, & Apoſtolatus accipiat. Hæc in actibus Apoſt. habentur, vbi opportune Deum cordium cognitorem vocant, neq. dicunt elige, ſed oſten de electum, quaſi innuentes apud Deum omnia eſſe præſcita, cognita, atq. definita, ante etiam quàm quippiam cogitemus.

Sexta ratio, Deus eſt prima cauſa cauſarum, & per ſuam eſsentiam perfectiſsimè cognoſcit ſe eſſe cauſam omnium, ergo cognoſcens uirtutem ſuã, impoſſibile eſt quòd non cognoſcat omnia illa, ad quæ ſua virtus ſe extendit, quæq. etiam ordinat ad ſe, ut ad

cauſam

cauſam finalem : Probatur conſequentia, quia cauſa,& cauſatum ſunt correlatiua, ergo non poteſt vnum cognoſci quin cognoſcatur & reliquum,ut dicitur in prædicamentis in cap. ad aliquid: ſequitur ergo propoſitum.

Septima ratio,ſi Deus ſe ſolum intelligeret,& hæc inferiora minime cognoſceret, ſequeretur quod eſſet ignorans eorum, quæ ſunt hic,ſed ignorantia dicit imperfectionẽ, in Deo uerò non cadit imperfectio, ergo nõ eſt ignorans horum inferiorum.

Octaua ratio, ſi Deus ignoraret hæc inferiora,ergo mortale animal eſſet ſcientius eo, ſed hoc non eſt dicendum,ergo.

Nona,&poſtrema ratio hæc eſt.Habemus in Metaph.lib.xii. Intelligere aliquid eſſe honorabilisſimum, & in principio primi libri de anima,omnem ſcientiam eſſe de numero bonorum honorabilium,ergo intelligere,& ſcire omnia eſt perfectionis ſimpliciter.Hæc eſt ratio Scotell.diſt.xxxv.

Et his rationibus probatam Theologorum ſententiam eſſe putamus.Sed quoniam

Deus eſt actus purus, ideo non in habitu, nec in potentia intelligens eſt, ſed ſolum in actu, nec intelligendo ſucceſsionem aliquam pati tur, ſed ſimul cognoſcit omnia, nam intellectus, qui multa ſucceſsiuè intelligit, in poten tia eſt intelligens aliud, ſed inter ea, quæ ſunt ſimul non eſt aliqua ſucceſsio, & cum Deus ſit purus actus, & alio non perficiatur, non in telligitur per aliam ſpetiem, ſed per ſuam eſsẽ tiam, & inde eſt quòd principaliter ſe ipſum intelligit, quia cum eſſentia ducat in cognitionem eius, cuius eſt eſſentia, & Deus ſit per ſuam eſſentiam intelligens, oportet quòd ipſemet ſit principale intellectum ab eo: In aliis uerò uidemus intellectualem perfectionem ex duobus dependere, Vnum eſt quòd perfectè ſpeties intelligibilis conformetur ei, quod intelligitur: Aliud quòd perfectè intellectui coniungatur, quod eò amplius fit, & melius, quò intellectus maioris efficaciæ in intelligendo exiſtit: Deus autem cum non in telligat per aliam ſpetiem, ſolum per ſuam eſ ſentiam perfectisſimè ſe ipſum intelligit, & quoniam alius intelligens ſicut potentia ad

actum

actum, ſic ad ſuum intelligere comparatur, oportet quod intelligere Dei, qui eſt purus actus ſit idem cum ſua eſſentia, ſicut eſſentia eius eſt ſuum eſſe, & cum ſit intelligens per ſuam eſſentiam, quæ eſt ſuum eſſe, & ſuum intelligere, & ſe principaliter intelligat, patere poteſt, quòd in Deo Intellectus & Quod intelligitur, & Quo intelligitur, & ipſum Intelligere ſunt unum, & idem, & quia ſe perfectiſſimè intelligit, cum cauſa ſit omnium, in ſe intelligit omnia; cognita nãq. cauſa prima, & omnibus cauſis mediis, quæ agunt in uirtute primæ cauſæ, effectusq. oẽs uſq; ad ultimum cognoſcuntur (ſicut per ſextam rationem in præſenti capitulo probauimus) Inſuper quia omnis cognitio ſe extendit ſecundum modum formæ, quæ eſt cognitionis principium, & ideo cum diuina eſſentia ſit ſufficientisſima ſimilitudo omnium, quæ actu ſunt, uel poſſunt eſſe modo quocunq; oportet quòd ipſe Deus per ſuam unam eſſentiam cuncta cognoſcat: Nec hoc diuinæ repugnat ſimplicitati, quòd multa intelligit, nam eſſet contra eius ſimplicitatem,

ſi eius intellectus per plures ſpeties formare tur, Deus autem (ut iam dictum eſt) per unam ſimplicem eſſentiam cuncta, & cunctorum rationes cognoſcit tam ea, quæ ſunt in ſua actiua potentia, quàm ea, quæ ſunt in actiua, uel paſſiua potentia creaturæ cuiuſq́. Ad id facit illud, quod D. Aug. narrat in lib. de ciui tate Dei, quendã Philoſophum dixiſſe, quòd Deus eſt mens libera, & abſoluta ab omni concretione, mouens, & adiecit omnia ſentiens .i. intelligens: Nam licet in nobis ſenſus diſtinguatur ab intellectu, & per ſenſum per cipiamus ſingularia, per intellectum uniuerſa lia cognoſcamus, & licet Deo, qui non eſt for ma corporis, nec virtus in corpore, non poſ ſit qualis in nobis eſt attribui ſenſualis cogni tio, tamen ut oſtenderet eum, & ſingulariũ, & uniuerſalium, & omnium cognitionem habere, uſus eſt latisſimo uocabulo, & modo quodam uulgari dixit, quod eſt omnia ſen tiens .i. omnium habens cognitionem; Et optimè quidem dixit iſte Philoſophus primò Deum eſſe mentem, quia cum ſit prima mẽ ſura omnium res quaslibet in eſſe participa-

to,& limitato ſtatuit, modum eis congruentem præfigens ; dixit ſecundo eſſe mentem liberam, cùm ſit ſuum eſſe liberrimum nulli aliquid debens, non participans eſſe ab alio, dixit tertio eſſe mentem abſolutam ab omni concretione, & per hoc eius ſimplicitatem deſignauit, & ex hoc ſibi propriiſſimè ratio primæ menſuræ poteſt attribui: Quarto ſubiecit quòd eſt omnia mouens, & omnia ſentiens, ſuper quod dixit. D. Auguſtinus quòd aliquid non poteſt effugere omnia mouentem, nec latere omnia ſentientem, & ita per hoc, quod eſt omnia mouens, excellentia poteſtatis, per hoc, quod eſt omnia ſentiens, plenitudo ipſius ſcientiæ deſignatur. Sed aduerte, quòd (ut inquit ipſe Aug. in tertio de Trinitate) Deus non particulatim, uel ſigillatim omnia uidet, uelut alternante cõceptu huc illuc, inde huc, ſed omnia uidet ſimul, atq́. cognoſcit, propriè enim dicemus Deum cognoſcere, nõ autem intelligere: Quod ut declarem, dico unà cum laudatisſimo viro Ioãne Pico Mirandulæ in ſua Apologia. q. xii quòd intelligere capitur bifariam, uno modo generali

ter pro omni cognitione, aliò modo capitur intelligere ſpetialiter, prout eſt notitia appropriata Angelo, & intellectui Angelico, & ipſũ informans, & in taliter immutans: Deus itaq; primo modo dicitur intelligere; ſecundo autem modo non: Et hoc non ex mea ſolum, non ex Ioannis tantum ſententia, ſed ex D. Dyoniſii auctoritate, & ex eius modo loquẽdi clariſſimè elicitur; Nam ſicut ratio ſignificat notitiã diſcurſiuam homini propriam, quæ quidem ratio impropriè diceretur eſſe in Deo, ita ſimiliter (inquit Dyoniſ.) intelligere eſt notitia appropriata Angelo ab ipſo cauſata: Nec ob id negat D. Dyoniſ. in Deo eſſe omnium cognitionem perfectiſſimam, ſed ſolummodo aſſerit Deum impropriè dici quòd intelligat, & nos hoc cum ipſo aſſerimus, propriè enim cognoſcere dicitur non intelligere, cum illud ſit proprium Intelligentiarum, capiendo uerò intelligere generaliter, ſic & Deus dicitur intelligere, ſed intelligere, quod eſt Angelo appropriatum, Deo nõ competit, ſicut etiam impropriè diceretur eſſe rationem in Deo, cum illa ſit homini propria

pria: Quare colligo ego differentiam præter alias inter intellectum Diuinum, Angelicum, & humanum, Intellectus enim humanus apprehendit per rationem diſcurrendo, Angelicus per intellectionem intelligit, Diuinus per eſſentiam cognoſcit, Hinc ea intellectus humani dicitur notitia ratiocinatiua, Angelici intellectualis, Diuini infinita: Dicimus itaq. ſumendo intelligere generaliter, Deum intelligere, propriè autem omnia cognoſcere.

Solutiones Theologorum ad argumenta Philoſophorum Cap. X.

DEVS itaq; ut abundè probauimus, omnia perfectè intelligit, ſeù magis propriè loquendo cognoſcit, cuius licet oppoſitũ Philoſophi demõſtrare conentur, tamen eorundè auctoritate huius propoſitionis veritas cõfirmatur,

&elucefcit, Ad quod facit primo illud, quod D. Auguſtinum in lib. de Ciuit. Dei, dixiſſe quendam Philoſophum, atteſtatum fuiſſe in ſuperiori cap. poſuimus, quod (ne bis idem repetamus) ommittentes ad Epycharmi Pythagorei, & aliorum auctoritates, quas certè ex ſacris antiquis libris reor eſſe deductas, iam iam accedamus: Epycharmus itaq́. Pythagoreus unde niſi à ſcriptura didicit, nihil clam Deo eſſe? Democritus quoq; omnia, inquit, Iupiter cognouit, omnia ille dare, & omnia poteſt auferre, Rex omnium ipſe ſolus eſt: Nonne iſti Philoſophi & Dei omnicognitionem, & infinitam potentiam contra cæteros Philoſophantes optimè demonſtrauerunt? Nec obſtant ea, quæ in contrarium argumenta prolata fuere.

Ad primum enim reſpondetur ſolum hominem apprehēdere intelligibilia materialia per plures ſpecies, & motiuè, De⁹ uerò cognoſcit non per plures ſpecies, ſed per ſuam unicā eſſentiam, & in ſe, ſic quòd non mouetur à rebus, ſecus intellectus diuinus uileſceret.

Ad ſecundum dicitur Ariſt. in eo tex. non

aſſerere

aſſerere nobilius nō intelligere minus nobile, hæc enim ſunt eius uerba, Nobilius enim nō intelligit, ergo intelligit ſe, ſubiungit tamen Auerr: in comento nobilius non intelligit .i. uiliorem, uel ſic nobiliorem, & licet Ariſt dixiſſet paulo ſuperius quædam uilia melius eſſe neſcire quā ſcire, tamē non propter hoc colligi poſſe exiſtimo ipſum nolle nobile nō intelligere minus nobile, Reſp. tamen nobilius non intelligere minus nobile particulatim, motiuè, extra ſe, ſed bene in ſe unico actu, comprehenſiuè: Et pro declaratione uerborum Auerr. nempe nobilius non intelligere uiliorem uel nobiliorem, conſidero primò Deum non poſſe intelligere nobilius hoc modo, ita ut eius mens ab illo accipiat perfectionem, Nam Deus nihil externum ſcit, à quo mens eius perfectior, & quaſi expolitior reddatur (quæ enim ad perfectiſſimam eius abſolutionem, & præſtantiam excellentiſſimam fieri poſſet acceſſio?) nec tamen ex eo efficitur ut Deus præter Deum intelligat nihil, nam ſe intelligendo cætera omnia comprehendit: conſidero ſecundo Deum non intelligere

telligere uilia, ita ut ex eis recipiat imperfectio nem, & eius intellectus uileſcat, Nam ſcientia rerum uel leuisſimarum non poteſt uiolare, atq; imminuere diuinam maieſtatem, quæ in reliquis intelligendis neq; à ſui contemplatione aberrat, neq; aliqua ex parte cõmutatur, neq; acquirere poteſt quicquã, aut ammittere: Etenim uidentes cuncta naturali quodam appetitu ad ſuas metas incitata dirigere curſum, niſi temerè, ac fortuito id fieri exiſtimamus, concedendum erit mentem aliquam ſuperiorem exiſtere, quæ certos, & determinatos cuiq. generi fines præſcripſerit, atq. ad illos capeſſendos propenſionem, & uim accõmodatam ingenuerit, quod nulla unquam ratione exequi potuiſſet, niſi naturas omnium rerum non confuſè modo, ſed etiam diſcretè cognitas, perceptaſq. teneret. Cœterum quicquid alii Interprætes affirmẽt, hanc reor ueram eſſe Ariſt: ſententiam, quòd Deus ſe ipſum ſolummodo intelligat princi paliter, & ſe ipſum intelligendo comprehen ſiuè in ſe cuncta cognoſcat.

Ad Tertium argumentum reſpondetur

auctoritatem

auctoritatem Aueir. procedere de materiali intellectu,non autem diuino,In eo enim tex. Ariſt. loquitur de intellectu materiali,& eius præbet diffinitionem.

Ad Quartum, Ratio illa non concludit, quia diuina eſſentia eſt primum; & adæquatum obiectum intellectus diuini,ut accipitur in eſſendo,& repræſentando ſimul: Quamobrem licet ſummendo eſſentiam diuinam in eſſendo ſit unicum, & ſimplicisſimum obiectum,tamen ſummendo ut in repræſentando,ſic repræſentat non ſolum ſe, ſed etiã alia,imo continet infinita in repræſentando, & ſic intellectus Dei intelligit in illa unica eſſentia ſimplici infinita. Adde etiam, quod ratio illa currit de potentia organica,ſicut eſt potentia uiſiua , ſecus autem in intellectu diuino:

Ad quintum reſpondetur etiã hac eadem reſponſione, qua ad quartum.

Ad ſextum uerò dicitur ſecundum D.Thomam in primo ſententiarum. *diſt. 35. q. 2.* Illud Philoſophi dictum,& ipſum argumentum tenere;& benè procedere de intellectu

cognoſcente

cognoſcente diuerſa,& plura per diuerſas ſpecies, ſicut eſt in nobis, ſed aliter eſt de Deo, qui omnia cognoſcit(ut iam dictum eſt) per unicam ſuam eſſentiam ſimplicisſimam.

Ad ſeptimũ reſpondetur ſecũdum Magiſtrum ibidem, quod D. Hyeronimus ibi intendit dicere, quod Deus talia minima non alternatim,nec particulatim, nec per diuerſa temporum momenta cognoſcit: Scit itaq. Deus quãta (inquit)ſit multitudo pulicum, muſcarum,ac piſcium, & quot naſcantur, quotue moriantur,ſed non ſcit hæc per momenta ſingula,imo ſimul,& ſemper ſcit omnia: Hæc magiſter ibi, & D. Bonauentura dicit,quòd infinitas, & immenſitas diuinæ eſſentiæ ponit hanc neceſsitatem cognoſcendi omnia: Cum enim intellectus Diuinus ſit infinitus,& illimitatus ſimul intelligit infinita,nec patitur aliquid latere Deum,quia alias non eſſet infinitus.

Ad octauum, nempe ad auctoritatem Auerr., licet ex præcedentibus facilè poſsit patere reſponſio, tamen unà cum Scoto *in. 15.q.quolib.* reſpondemus, quòd intellectus

diuinus

diuinus uileſceret ſi uilia queq;, & naturæ mi nima attenderet motiuè, & cum tædio, & labore, ſicut & nos: Apoſtolus enim ad Hebreos c. 4. dicit omnia nuda, & aperta ſunt oculis ei', quod gloſſandũ ducimus in ſe, quia ſecundum ſuum eſſe omnia relucent in eſſentia diuina.

Et ſi quis dicat, ergo Deus in ſe cognoſcit etiam mala, cum ſic uilia, & particularia cuncta cognoſcat: Reſpondebimus cum D. Bonauent. in primo ſent. *d. 39. q. 2.* duplicem eſſe cognitionem, vnam approbationis, alteram uerò ſimplicis notitiæ: Cognitio approbationis connotat complacentiam uoluntatis, Hoc modo cognoſcit Deus omnia, quia nec mala, nec malos, ſed tantum bona, & bonos, quia in ſolo bono eius ſe complacet uoluntas: Cognitio uerò ſimplicis notitiæ, quia habet rationem cognoſcendi à ueritate, quæ eſt lux ſumma, cui nil poteſt occultari, nec etiam tenebræ obſcurantur ab ipſa, ideò de neceſſitate cognoſcit omnia magna, & parua, bona, & mala.

Ad nonum, & ultimum argumentum re

ſpondet idem D. Bonau. quòd omnia ſcire ſimpliciter melius eſt,& nobilius, ut iam patuit per Philoſophum in primo de anima,& in xii. Metaph. Quamuis enim homini corrupto, qui accipit occaſionem peccandi ex cognitione talium melius eſt neſcire, quam ſcire(ut ait. D Aug. ſupra) tamen non ſic eſt de Deo, qui unico intuitu ſimul omnia videt, nec poteſt inclinari ad aliquod malum: Et ſic apertè ſoluta remanent uana philoſophorum argumenta, quorum tamen aliqui diuini numinis afflatu perculſi, non deſunt Deum cuncta cognoſcentem affirmare, ſicuti recitat M. Antonius Flaminius *in paraphraſi ſuper xij. metaph.* Erubeſcant Philoſophi noſtræ tempeſtatis, qui fidem Catholicam profitentes omnes adhibent machinas ad Theologorum,&eorum(ſi qui cum Theologis Philoſophi aliquando tenent) Philoſophorum magis pias rationes labefactandas, quiq; toto pectore inſudant,&conantur quò Deum propria rerum ſpolient cognitione, & differunt diuinam intelligentiam non ulterius procedere, quam ut res quaſq comprehendat,

hendat, Quod diſceptationis genus ex omnium memoria pœnitus exterminandum eſſe cenſemus: Religionem namq́. apertisſimè oppugnat, omnem ſanctitatem, omnem uirtutem, omnem deniq́ officiorum rationem funditus euertit: Et profectò ſi hæc peſtilentisſima opinio per aures, atq́. hominum animos peruaſerit, Deum humana quæq́; ignorare, nullum apud eius numen delectũ eſſe piorum, impiorumq́. nullam poſt uitæ curſum præmia rectè factis, nulla ſupplitia flagitiis eſſe propoſita fatebuntur omnes; Quæq́. de ſumma Dei prouidentia habeatur opinio, eam uulgarem, ac futilem, atq́. à recõditis ſapientum dogmatibus remotisſimã eſſe unuſquiſq́. putabit: Quod ſi his Dei uniuerſorum cognitionem negantibus ex ſententia eueniret, Quotus quiſq́. erit, qui pure, & caſtè, non fictè, atq́ ſimulatè maieſtati diuinæ cultus laudes, honores preceſuè adhibeat? Qui iuſtitiam, fidem, charitatem, iuſiurandum uè colat? Qui deniq́. ſocietatis humanæ ullam unquã ducat rationem? Satis itaq́. mirari non poſſum quorundam Philoſopho-

loſophorum imprudentiam,& temeritatem, qui has nefarias diſputationes etiam ſæpè numero in mediis templis, inq. maxima populi adſtantis corona audeant explicare, nedum illas in Scholas ſoleant introducere: Quippèqui non ſapientiæ magiſtri, ſed impietatis miniſtri ſunt potius habendi. Ego quidem Philoſophorum doctrinam mirabiliter amplector, ſed ubi parum illis cum noſtrorũ Theologorum ſententia conuenit, Philoſophiam deſero, Religionem ſequor, necnon magis piæ opinioni ſemper adhæreo, & immortali Deo gratias immortales ago, qui earum rerum, quæ intelligentiæ à ſenſibus profectæ uim effugiebant, cognitionem ipſe nobis ſua infinita benignitate impertiuit.

Deus

Deus quomodo moueat, & vtrũ contingenter agat Philoſophorum opinio. Cap. XI.

CVM ſuperius locuti fuerimus de cognitione pertinente ad intellectum diuinum, nunc verò cum per intellectum, & uoluntatem Deus ſit agens cauſa rerum, Quærimus an Deus liberè moueat cœlum? Philoſophi tenent Deum non liberè, ſed naturaliter ipſum Cœlum mouere, & non poſſe non mouere Cœlum.

Primum, quo principaliter innituntur, eorum hoc eſt fundamentum.

Neceſſe eſt per Ariſt. in 2. phyſ. *tex. 74.* quòd ex agente ſequatur actus in rebus æternis, ergo Deus, qui eſt agens in mouendo cœlum neceſſariò ipſum mouet.

Secundo argumentantur tali pacto, (& hoc etiam argumentum affert D. Thomas in 1. parte ſummæ *q.19.art.4.*) vnius rei unica eſt cauſa, ſed rerum creatarum eſt cauſa ſcientia Dei, (ut probatur per eundem Doctorem Angelicum in eadem *1.* parte *q.14.art.8.*) ergo uoluntas Dei non debet poni cauſa rerum, ergo Deus non agit liberè, cum nō per ſuam uoluntatem, & ſic neq. libere mouebit Cœlum.

Tertio omne quod mouetur per principiū quod eſt in eo mouetur per naturam (ut colligitur ex Ariſt. *8.* Phyſ. *tex.* xxvii.) Quæ quidem natura verius dicitur de forma, quā de materia, ut inquit Comentator in *2.* phyſ. *com.* iii. ſed Cœlum mouetur per principiū quod eſt in eo, ut uult Auerr. Ariſtotelem declaraſſe in principio ſeptimi Phyſ. ergo Cœlum per naturam mouetur, & ſic naturaliter.

Quarto, Actio primi motoris naturalis eſt, & ſignum quòd Deus naturaliter mouet eſt motus cordis in homine, quod quouſq. homo uitam degit quieſcere non poteſt, ergo Deus naturaliter & neceſſariò agit.

Quinto

Quinto in xii. metaph *tex. 38.* dicit Ariſt.quòd Deus eo modo eſt ſubſtãtia,quomodo eſt principium, ſed eſt ſubſtantia neceſſaria ſimpliciter,ergo eſt principium agendi neceſſarium ſimpliciter, quod non poteſt non agere.

Sexto,Posſibile inuenrum in rebus immobilibus ſequitur neceſſariũ, ut habet Auerr. in lib. Perihermenias, ergo ſi posſibile eſſet Deum non mouere Cœlum aliquando, neceſſario ceſſaret ab ea motione, ſed hoc eſt contra Ariſt.in *8*. Phyſ. qui aſſerit motum Cœli eſſe neceſſarium, & non poſſe non eſſe,ergo Deus neceſſariò mouet Cœlum.

Septimo,neceſſe eſt per Ariſt.in pri.metaph. *com.21*. & in v. metaph.*com.8*.eſſe motum Cœli, quæ neceſsitas eſt in Cœlo in modo recipiendi,in motore uerò ex parte agendi (ut diximus in ſuperioris argumenti conſequentia deducenda)in *8*.phy. *com.83*,ergo Deus neceſſariò mouet Cœlum.

Octauo, perfectisſimæ cauſæ debet attribui perfectisſimus cauſandi modus,Perfectiſſimus modus cauſandi eſt neceſſarius, quo-

niam

niam neceſſarium eſt præſtantius contingen te,ergo Deo, qui eſt cauſa perfectionis, debet attribui modus agendi neceſſarius.

Nono,&ultimo,Quicquid ineſt alicui per naturam,& per eſſentiam,inſeparabiliter, & neceſſariò ei ineſt, ſed Deus mouet per eſſen tiam, ergo neceſſariò mouet. Minor probatur per Ariſtotelem in xii. metaph. *tex. 29.* ubi oſtendit Deum non agere, & mouere per formam additam ſuæ eſsentiæ,ſed per ſuā eſsentiam.

Sic itaq. tenent Philoſophi Deum neceſſariò mouere Cælum,& naturaliter,& neceſſariò agere,Nec tamen dicunt ea,quæ eueniunt eſſe neceſſaria,Quia ratio originalis liber tatis contingentiæ ex compoſitione eſt,uel di uiſione intellectus diſcurſiua,quia intellectus poteſt indifferenter affirmatiuam, uel negatiuam concludere,& conſequenter ad utranq. partem poſsibilis eſt aſſenſus, Quæ libertas contingentiæ ſolum naturam intellectus infimæ potentialis ſequitur :Remota igitur ho minis libertate nullus effectus apud Philoſophum liber eſt,non tamen remota hominis

libertate

libertate omnia neceſſariò eueniunt, quia licet concurrente alia cœli parte aut pro, aut cõtra ineuitabiliter neceſſariò concurrat; & cum contrariarentur, aut ſunt æquè potentes, & tunc effectus nõ producitur; ſi non debilius ſuccumbit: Poteſt tamen Cœlo impedimẽtũ aduenire ab inferiori cauſa, ut puta, quòd equus rumpens arboris ramum fructiferum, eius prohibeat pullulationẽ; Quia igitur hæc inferiora materiam in potentia ſui partem habent, etiam contrarietatem habent: Eſt ergo (optimè reſoluendo) perpendenda differentia inter libertatem, & contingentiam, quia apud Philoſophum ex ſolo homine libertas eſt, non autem ſolum ex homine contingentia eſt; eſt enim contingentia amplior: Duobus nanq. exiſtentibus potentialibus, uno in genere intelligibilium, & hoc eſt intellectus poſſibilis, Altero uerò in genere ſenſibilium, & hæc eſt materia prima; Ex potentiali in genere intelligibiliũ naſcitur libertas, ſed ex potẽtiali in genere ſẽſibiliũ naſcitur cõtĩgẽtia. Hoc uoluit Philoſophus in vi. Metaph. *com. v.* in translatione græca. Quodcunq. tamen

L corpus

corpus potentiam primam intelligibilium in ſe habet, illud potentiam primam ſenſibilium in ſe claudit, ſed non è contra: Quapropter non omnis diſpoſitio à Cœlo pendet, quia à variis cauſis pendere poteſt, ueluti à talpa magni fluminis ripam, puta, Padi rumpẽte, & quamuis apertum à talpa foramen paruum ſit, aquarũ tamẽ impulſu aperitur, nec non eorum decurſu augetur, Et tandem per loca, quæ non inuadaſſet effluit Eridanus, & terrã aliter quã fuiſſet diſpoſita non erumpente fluuio diſponit, & præparat ut aliter à Cœlo patiatur quàm paſſa fuiſſet, & ſic magis fructifera quàm prius redditur, uel è cõtra: Et ſic impedimentum à Cælo eueniens per præſentiam aſtri ad oppoſitum influentis ineuitabiliter naturaliter euenit: Sed ab iſtis inferioribus impedimentum eueniens cõtingenter, non neceſſariò euenit.

Deus

Deus vtrum liberè, vel contingẽter agat Chriſtianę Religionis Profesſio. Cap. XII.

TENENT ex aduerſo Sacratiſſimæ Theologiæ profeſſores Deum ad extra merè liberè, & contingenter agere. Comprobant auctoritate Prophetæ *Pſal. CXXXIV.* Deus ultionum, Dominus Deus liberè agit, & ſapientiæ xi. Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? Apoſtolus etiam ad Epheſ. i. dixit Qui Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Idem pluribus, & uariis rationibus confirmant, quarum nonnullas tantum præcipuas in præſenti referremus.

Primo ſic ratiocinantur: Sol unum radiũ priuſquã alterum producit, nec huius aliqua adeſt ratio, determinatio igitur ex diuina pẽdet uoluntate, quare dicendum Deum ſecundum uoluntatem ſuam liberè, & contingenter agere.

 Secun-

Secundã rationem ex Ariſt. in top. IV. *cap.* *II.* referente Deum poſſe uelle parua, eadem tamen minimè uelle, deducunt, ex quo eliciunt liberam eſſe, & liberè operari uoluntatē diuinam.

Tertiã rationem ex motu terræ exhauriũt quam Deus rectè, aut circulariter mouere poſſet, nec itidem mouet, quod non eſt aliunde, quàm ex liberà eius uoluntate. Nec alicui uideatur incõueniens quòd Deus poſſet (ſi uellet) terræ elementum mouere, quia naturaliter id mihi ſanè probatur, nam quicunq. aliquo dictorum motuum poterit mouere partem, poterit mouere & totam: Quare cũ Deus poſſit mouere partem terræ aliquo horum modorum, igitur dicendum ipſum poſſe ſic & mouere totum, quod eius libertati, eſt attribuendum; & eſt iſtiuſmodi ratio ex homogeneitate deducta: Et confirmatur per Philoſophi auctoritatem in primo Cœli *tex. c. 19.* dicentis in idem ferri totam terram ſecũdum naturam, & paruum bolum.

Quarta hæc eſt ratio, Deus in paſſo uniformi ſaluat difformitatem, ſed hoc non eſt naturale;

turale; ergo liberè agit, non autem naturali ter; Probatur maior, quia hanc terræ partem aquæ coopertam ſubiecit, illam uerò non.

Quinta ratio, uiolentum eſt aerē immediari terræ, ſed hoc uiolentum contra naturam Deus perpetuat, ergo non agit naturaliter, ſed liberè.

Sexta ratio, ea inter quæ non eſt ordo eſsētialis poſſunt aliter ordinari, quàm ſint ordinata, ſed inter partes ſolis non eſt ordo eſſentialis, ergo poſſunt aliter ordinari, ergo pendet eorum ordinatio à diuina uoluntate, ergo Deus liberè agit.

Septima ratio, omne agens naturale perficitur aut in ſe; aut in ſimili, aut in toto, ſed Deus non perficitur, ergo non eſt agens naturaliter: Probatur minor quia Deus eſt perfectisſimus.

Octaua ratio, ſi Deus naturaliter ageret, cuncta neceſſario eſſent, quia continet cauſas omnium rerum, ideo Deus omnia producibilia produceret, & omnia quæ poſſet, & non dimitteret malum in uniuerſo, ſed dimittit, ergo liberè agit.

Nona

Nona & ultima ratio, ſi Deus neceſſariò ageret produceret effectum perfectiſsimum, quia ageret ſecundum ultimum ſuæ uirtutis, ſed non producit effectus perfectiſsimos; ergo non agit naturaliter, & his rationibus; (omisſis aliis ne in nimiam prolixitatem incidamus) Theologorum uera confirmatur ſententia, & licet in Deo eſſe, & agere ſint idē, tamen ſi neceſſe eſt Deum eſſe, non neceſſe eſt Deum agere ad extra, quia uoluntas tantum ex necesſitate uult ea ſine quibus finis, & bonum ſuum eſse non poſsūt cuiuſmcdi non eſt de creaturis, ut habet D. Thomas in ſua ſumma contra gentes cap. *82*. & ideo licet necesſitas ſit melior cōditio eſſendi, nō tamē eſt melior cōditio operādi ad extra, neq. immutabilitas diuina tollit nouitatem in effectu, quia ab æterno determinauit Deus agere nunc, & ſic contra philoſophos ab antiqua uoluntate poteſt aliquod nouum poni in eſse ſine mutatione operantis, aut remotione impedimenti, & ſi Deus naturaliter ageret, cuncta neceſsariò eſsent. Io. Scot: ſecun-

do ſententiarum diſt. pri. & viij eiuſdem ſecundi q. fin. &primo ſentent. diſt. *21.* & *39* & diſt. pri. & ſecunda & ſeptima q. quodlibetali.

Solutiones Theologorum ad argumenta Philoſophorum Cap. XIII.

IACTIS fundamentis, & non nullis adductis auctoritatibus, &rationibus pro Theologorum ſententia nunc ad Philoſophorum oppoſita reſpondeamus:

Erat eorum primum argumentum ex Ariſt. deſumptum in *2.* phyſ. tex. *74.* quippequi inquit ibi, quòd in rebus æternis actus neceſſario ſequitur ex agente Reſp. ibi Ariſt. intelligere actum præſupponere agentem, ita ut actus neceſſariò ſequatur, hoc eſt proueniat ex agente, non autem quòd ſi eſt agens neceſſariò agat, ut eo loci notauit doctisſi-

mus zimara, qui hæc habet uerba; ex quo patet in æternis eſse agens:

Ad ſecundum argumentum, quod erat unius rei unica eſt cauſa, ſed rerum creatarũ eſt cauſa ſcientia Dei, ergo non eius uoluntas; Reſp. unà cum D. Thoma quòd unius, & eiuſdem effectus eſt cauſa ſcientia ut dirigens, qua forma operis concipitur, & uoluntas ut imperans, quia ſola uoluntas determinat quòd forma, quæ eſt ĩ intellectu tantum ſit hoc, vel non ſit in effectu: Quapropter in tellectus ſpeculatiuus nihil operatur, Potentia uerò eſt cauſa ut exequens; quia nominat immediatum principiũ operationis, ſed hæc omnia in Deo unum ſunt, unde ſi ſcientia Dei eſt cauſa rerum, etiam eius uoluntas po teſt eſſe cauſa rerum, nec ob id unius effectus plures erunt cauſæ, quia ſunt unum, & idem, & hæc ſola eſt inter eas differentia, quod ſcientia eſt cauſa ut dirigens, uoluntas uerò ut imperans, ſicut etiam in nobis.

Ad tertium argumentum, quod erat omne quod mouetur per principium, quod eſt in eo mouetur per naturam, ſed cœlum eſt huiuſmodi

huiuſmodi,ergo.Reſp.quòd licet per hoc ar gumentum probetur cœlum moueri ſecundùm ſuam naturam,hoc eſt circulariter,nō tamen ex eo comprobari poterit Deum ipſum naturaliter, nempe neceſſariò mouere cælum, nec ſequitur quòd ſi ſecundum ſuā naturam mouetur quòd neceſſariò moueatur a Deo.

Ad quartū Argumentū,quod erat,Actio primi motoris eſt naturalis,& ſignum quòd De⁹naturaliter mouet ē motus cordis in homine; Reſp. quòd duplex eſt actio Dei,una intrinſeca,alia eſt extrinſeca, prima actio eſt neceſſaria,nempe intelligere & uelle, ſecunda uerò nempe mouere eſt libera, non autē neceſſaria, & quando dicitur ſignum quòd Deus naturaliter mouet,eſt motus cordis in homine,Reſp quòd aliud eſt dicere aliquid moueri ſecundum ſuam naturam,aliud aliquod naturaliter moueri, licet ergo cor hominis moueatur per principium; quod eſt in eo,nempè per ſuam naturam,&præcipuè per formam,quæ eius eſt anima, non tamē à Deo neceſſariò mouetur,quia poſſet Deus

aliter illum motum diſponere, uel regulare, cum eius uoluntas ſit libera.

Ad quintum, quod erat, Deus eo modo eſt ſubſtantia, quo eſt principium, ſed eſt ſubſtantia neceſſaria ſimpliciter, ergo principiū agendi neceſſarium ſimpliciter. Reſp. quòd procedit in eſſendo, non in operādo, ita ut ſi Deus eſt ſubſtantia neceſſariò ſimpliciter, ſit etiam principium neceſſariò ſimpliciter, ſed non quòd neceſſariò agat, nam licet in Deo eſſe, & agere ſint idem, non tamen ſi neceſſe eſt Deum eſſe, neceſſe eſt Deum agere ad extra; Secundo reſpondetur quòd eſt neceſſariò principium agendi, & neceſſario agit ad intra, liberè uerò ad extra.

Ad Sextum, quod erat, Poſsibile inuentū in rebus immobilib⁹ ſequitur neceſſarium, ergo ſi poſsibile eſſet Deum non mouere cælum neceſſariò ceſſaret ab ea motione; Reſp. ſicuti ad quartum, duplicem eſſe actionem, intrinſecam, & extrinſecam, procedit ratio illa de intrinſeca actione Dei, quòd nē pe ſi Deus poteſt intelligere neceſſariò intelligit, ſi poteſt aliquid uelle neceſsariò uult,

& hoc

&hoc ad intra,quia in æternis non differt eſ ſe à poſſe ad intra,ſed non procedit de actio ne extrinſeca,ita ut, ſi Deus poteſt creare ho minem,neceſſariò creet,neq; ſi poteſt moue re cœlum neceſſariò moueat, quia hæ ſunt operationes ad extra,in quibus Deus liberè, & contingenter agit.

Ad ſeptimum, quod eſt, Neceſſe eſt eſſe motum Cœli, ergo cœlum neceſſariò mo• uetur à Deo ; Reſp.concedendo antecedens, &quando infertur,ergo Deus neceſſariò mo uet cœlum,dicim⁹ quòd nō mouet neceſſa riò neceſſitate ſuæ naturæ, ſed neceſſitate ſuæ bonitatis,& perfectionis.

Ad octauum, quod erat, perfectisſimæ cauſæ debet attribui perfectisſimus cauſan- di modus,conceditur,ſed quādo dicitur per fectisſimus causādi modus eſt neceſſarius,er go Deus neceſſariò agit.Reſp. quòd licet ne ceſſitas ſit melior conditio eſsēdi, non tamē eſt melior conditio operandi ad extra unde Deo debet attribui perfectisſimus modus eſ ſendi,non autem operandi.

Ad Nonū & ultimum argumētum,quod

erat, Quidquid ineſt alicui per naturam, & per eſsentiam, neceſſariò, & inſeparabiliter ineſt ei, ſed Deus neceſſariò agit per ſuam eſſentiam, ergo. Concedimus maiorem, ſed quando dicitur, Deus neceſſariò agit per ſuã eſſentiam, Reſp. quod non neceſſariò agit, quia non purè naturaliter, ſed mere liberè per ſuam cognitionem, ita ut illa maior uera ſit de agente purè naturali, non aũt de agẽte naturali per ſcientiam, ſicuti eſt Deus.

Et ſic ſoluta remanẽt omnia Philoſophorum obiecta in contrarium adducta: Ex quo clarè patet Deũ ad extra mere liberè, & contingenter agere: Inſuper addimus quòd licet neceſſe ſit Deum eſſe productiuum ad extra non tamen neceſſe eſt ipſum producere ad extra; Neque propter id quod Deus multa producibilia poteſt producere, quorum nullum producit, concedendum eſt potentiam diuinam fruſtrari, quia reduci poteſt, & in aliquo illius generis reducta eſt ad actum. Verum pro exactiori Chriſtianæ Religionis ſententiæ confirmatione mediis etiam Philoſophicis Deum non agere naturaliter

raliter probamus. Auerr. in deſtruct. deſt. in xi. diſputatione contra Algazelem in ſolutione primi dubii ait Deum agere modo naturæ falſum eſſe, quoniam entia procedunt à Deo modo eminentiori, quàm ſit natura, ſecũdo Auerr. in 3. diſputat, in ſolut. dub. i. inquit, opus naturale non procedit à ſcientia, quoniam agens naturale agit ſine cognitione, opus Dei procedit à ſcientia, quoniã agit per cognitionem, ergo opus Dei non eſt naturale, ſed opus Dei non eſse naturale hoc modo intelligimus, nempe quòd Deus agat de neceſsitate naturæ, ſicut. v. g. ignis neceſſariò calefacit, ita Deus neceſsariò agit, nam Deus non agit purè, & merè naturaliter, ſicut ignis agit purè naturaliter, nanq. in xii. metaph. tex. 39. Deus eſt ſubſtantia intellectualis, ergo agit per intellectum, & uoluntatem (quod etiam aſſerunt Sacri Theologi) ergo non agit purè naturaliter, Deus itaq. eſt agens liberè, non autem neceſſariò.

Veriores ẽẽ negationes de Deo quàm affirmationes. Cap. XIV.

SI Dei cognitionem deſideramus habere, eam profectò potius per negatiuas enunciationes, quàm per affirmatiuas aquiremus, nam negatiuæ affirmationes ſunt neceſſariæ intellectui, in quibus laborat vt per eas demõſtret quid oporteat credi de Creatore, ex quibus non accidit ei multitudo aliquo modo, & ſignificant intellectui finem eius, quod homo poteſt aprehendere de Deo, quod ut facilius intelligatur, pono exẽplũ. Cogitemus quendam hominem uerè ſcire in mundo reperiri nauem; ſed nunquã propriis oculis eam uidiſſe, & ponamus ipſum ignorare cui conueniat eiuſmodi nomen; Vtrum ſit ſubſtantia, uel accidens; & poſtea probetur huic quòd non eſt accidẽs;

illi quòd de metallorum genere minimè exiſtit; alteri non eſſe aliquod , quod uita fruatur ; alii uerò non eſſe plantam quæ terræ adhæreat: alii verò non eſſe corpus uiuum coniunctione naturali ; alii autem non ēē figuræ latæ, ueluti menſa; alii non eſſe rotundam , uel quadratam; & demum alteri non eſſe alterius figuræ :

Ecce iam ſcis ultimum iſtum cognoſcere formam nauis per ſupradictas negationes, &qui opinatur ipſam eſſe corpus ligneum, concauum; longum, compactum ex multis lignis eſt æqualis ei, qui ſcit nauim per nomina attributiua, ſed quilibet priorum in exemplo præmiſſo magis diſtat à cognitione nauis, quā alius, qui ſequitur ipſum, adeo ut primus ſcit nil aliud de ea niſi nomen, ille qui ſcit quòd non eſt accidens magis diſtat à cognitione nauis, quam qui ſcit ipſam non eſſe de genere metallorum , & ſic ultimus per omnes illas ab negationes maiorē habebit nauis cognitionem, quàm quilibet alius, ſic ergo negationes nos ducunt in creatoris notitiam , ea propter finis amoris

noſtri

noſtri in intelligendo debet reponi, ut alicuius remotionem addamus ab eo per probationem non nomine ſolo, Remotio enim cuiuslibet alterius rei à Creatore, quæ in ipſo non reperitur, cum nobis fuerit probata nos ipſi per unum gradum proculdubio faciet appropinquare: & per hunc modum nonnulli multum appropinquauerunt ei, aliis exiſtentibus in fine elongationis, non quòd ipſi ſit appropinquatio, uel elongatio ſecundum locum.

Sed in narratione creatoris per affirmationes magnum eſt periculum, nam quicquid perfectionem eſſe cẽſemus, licet illa ſit in eo ſecundum ſenſum credẽtium in agnominationibus, non tamen eſt de genere perfectionis, quam nos opinamur, ſed ſolũmodo dicitur æquiuocè, nec creatori competit, & ob id neceſſariò ad rationem abnegationis confugere debemus: cum enim Deum dixerimus, ea quæ ſcit, ſcire ſcientia inuariabili, & quæ non multiplicatur, & ſcire uariabilia, quæ ſemper immutantur abſque motu, ſeu uariatione ſcientiæ, & ſcire futura ante-

quàm ſint,&poſtquàm ſunt in eſſe ſuo, & poſt ſuam priuationem, ſcientia, quæ non variatur, tum oſtendimus in his quòd eſt ſciens, non ſcientia ſimili ſcientiæ noſtræ: ex quo ſequitur quòd ſcit nõ eo modo,quo nos ſcimus. Neceſſariò ergo de Deo negationes inducimus,nec ideo inuenimus veritatem agnominationis ſubſtantialis, ſed inuenimus,quod credimus,quia ſubſtantiam habet,& agnominationes,quæ non ſunt ſcitæ,quoniam iſtas,quas ei competere credimus,remouemus ab eo in earum ſimilitudine,quæ ſunt apud nos ſcitæ; Quod ſi ita eſt,non ſunt eiuſdem ſpetiei.

Nos etiam apte per abnegationes aliquã de Deo cognitionẽ fore habituros D. Aug. atteſtatus eſt dicendo; intelligimus Deum ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum,ſine indigentia creatorem, ſine ſitu præſidẽtem,ſine habitu ,uel ambitu omnia continentem,ſine loco ubiq́. totum, ſine tẽpore ſempiternum,ſine ſui mutatione mutabilia facientem,nihilq́. patientem: Ecce omnia hæc dicta de Deo ſunt negationes,

Quapropter negatiuè magis quã affirmatiuè intellectũ noſtrũ Deum cognoſcere poſſe dicẽdum, cum nullum ſit nomen, quod totam Dei naturam complexum poſſit enũciare.

Nec tamen negamus quin de Deo affirmationes etiam ſint & ueræ, & formabiles. Nam inter ea nomina, quæ de Deo dicuntur, aliqua quidem ea, quæ Deo competũt, ſignificant, aliqua uerò uice uerſa, quæ illi non competunt, ea proferunt; Ex his enim duobus nimirum & ex eorum, quæ Deo non adſunt, nec conueniunt, abnegatione, & ex eorum, quæ adſunt confeſſione, uelut character, & imago quædam Dei nobis imprimitur, ueluti quum incorruptibilem nominamus, in potentia nobis ipſis, aut audiẽtibus dicimus, ne putes Deum ſubiacere corruptioni, & quum inuiſibilem, ne ſuſpiceris ipſum oculorum ſenſu comprehendi, & quum immortalẽ, ne unquam putaris mortem Deo accidere, ſic etiam quum ingenitũ, ne opineris ex ulla aliqua cauſa, aut principio ipſum eſſe Dei dependere;

Rurſus

Rurſus bonum dicimus Deum,& iuſtum & creatorem,& iudicem,aliaquè huiuſmo di: ſicut igitur in illis reprobationem quādam, ac interdictionē alienorum ſignificabant,Ita hic poſitionem,& ſubſtantiam eorum,quæ propria Deo ſunt, & quæ decenter circa ipſum ſpeculamur,ſignificant;itaq. ex utraq́ appellationum ſpetie docemur, aut de his,quæ adſunt,quòd adſunt, aut de his,quæ non adſunt,quòd non adſunt; Ingeniti porrò uox eorum, quæ non ſunt, ſignificationem habet,indicat .n. non adeſſe Deo natiuitatem,ſiue autem ablatiuam, ſiue interdictoriam,ſiue negatiuam, aut tale quid hanc uocem appellare quis uoluerit, nihil repugnabit; eſſentia uerò non eſt aliquid ex his,quæ non adſunt, ſed ipſum eſſe Dei,id quod inter ea, quæ non ſunt,connumerare extremæ eſſet dementiæ: ſi enim eſſentia inter ea,quæ non ſunt,eſt, nullatenus ſanè aliud quid eorum,quæ de Deo dicuntur,aderit.

Deus quid ſit. Cap. XV.

SI quis autem quid ſit Deus Opt. Max. curioſè ſciſcitaretur, licet quid ſit neq; ſenſu informari à nobis poſſit, cum ſit mens pura ab omni corporis concretione ſegregata, neq; ratione, cum illius maieſtas, & amplitudo ingenii noſtri anguſtiis contineri nequeat, & uis illius ſempiterna humanæ mentis imbecillitate comprehendi non poſſit, tamen non putarem ſanè reſpondendum melius occurere, quàm qui eſt, Hoc ipſe enim de ſe uoluit reſponderi, hoc docuit dicente Moiſe ad populum, Deo quidem iniungente, Qui eſt miſit me ad uos, Meritò certè, Nil competentius æternitati, quæ Deus eſt, ſi bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, uel quicquid huiuſmodi de eo dixerimus in hoc uerbo inſtauratur, quod eſt, eſt, Nēpe hoc eſt ei eſſe, quòd hæc omnia eſse, ſi

& centum talia addamus non recesſimus ab eſſe, ſi ea dixerimus nihil addidimus, ſi nõ dixerimus nihil minuimus, Iam ſi ſpeculabimur hoc tam ſingulare, tam ſummum eſſe nonne in cõparatione huius quicquid hoc non eſt, iudicabimus potius non eſſe, quàm eſſe, ſine Deo eſſe nihil eſt, ſine Deo tam nihil eſſe, quàm nec ipſe ſine ſe poteſt. Deus ſibi, Deus omnibus eſt: ita ut quoddammodo per hoc dicere posſimus, ſolum eſſe Deum, qui ſuum ipſius eſt, & omnium eſſe, cuius eſſe eſt & bonum, & purum, Hinc Ariſt. & Peripathetici omnes Deum (propriiſſime loquendo) actum purum eſſe dixerunt. Plato autem, & Proclus, ipſeq́. demum Areopagita magnus Dyoniſius puram bonitatem appellarunt: Hilarius autẽ, Damaſcenus, & D. Thomas hoc nomine, eſſe tantum, deſignarunt; Quæ quidem omnia ſublimiter & ueraciter dicta eſſe fatemur: Enimuero ex doctrina Philoſophi, ens per actum, & potentiam diuiditur, ſũtq́. actus, & potentia in quolibet entis genere, & ex oppoſito diſtinguntur, eſt enim actus

(vt

(ut ab ipſomet Philoſopho deſcribitur) prin cipium tranſmutandi alterum in quantum alterum, Quamobrem Deus actus puriſſimus ueriſſimè perhibetur, & cum bonum ſit quod omnia appetunt, cuius proprietas eſt ſui ipſius comunicabilitas, ſiue diffuſio, Deus autem excelſus, & ſanctus omnibus ſit appetibilis, & cuncta bonificet, atq; adornet, itemq; in uigore conſeruet, propterea non immeritò primum, ac propriiſſimum Dei nomen ad mentem Platonis, & eius Academicorum, & ſecundum Dyoniſium, bonum eſſe cenſetur, denique iterum purum eſt, cui nil admiſcetur contrarii.

Inſuper quærenti etiam quid Deus, congruè reſpondebitur, Principium; Hoc enim ipſe de ſe reſponſum dedit, ut habet Ioann. 8. Nam ſi queramus uerum, ſimplexq; principium, id inueniamus oportet; quod principium non habuerit; ex quo machina iſta, totum nempe uniuerſum cæpit eſſe, ipſum profectò minime cæpit. Quia ſi eſſe cæpiſſet, ipsũ cæpiſſe aliunde neceſſariò dicẽdũ, à ſe enim nihil cæpit: Nec poteſt quis opi-

nari

nari, id quod non erat, dare ſibimet potuiſſe, ut inciperet eſſe, uel etiam aliquid fuiſſe antequàm eſſet, nam cum horum nullum ſit rationi conſentaneum, conſtat nihil ualere ſibimet extitiſſe principium: Quod uerò aliud habuit principium, primum non fuiſſe, clarisſime patet: Quamobrem uerum principium nequaquam cœpit, ſed cuncta ab ipſo cæperunt, Quia ex ipſo omnia, per ipſum omnia, in ipſo omnia; Ex ipſo inquã omnia, non de quo, quia non eſt materia Deus, eſt efficiens cauſa, non materialis: fruſtra Philoſophi materiam quærunt, non. n. eguit materia Deus, de nihilo nanq. ipſe per ſe, in ſe cuncta fecit: ex ipſo omnia tanquàm uno principio omnium auctore: ex ipſo omnia creabiliter, non ſeminabiliter: Per ipſum omnia, ne alium auctorem, atq. alium opificem arbitremur: Per ipſum omnia, ne alterum inducatur principium artifex: In ipſo deniq. omnia, nõ quaſi in loco, ſed quaſi in uirtute.

Deum

Deum eſſe incomprehenſibilem. Cap. XVI.

LICET per hæc ſupradicta, quid ſit Deus ſcire optanti, congruè poſſimus reſpõdere: non tamen eius ſubſtantiam intelligere ualemus, eſt enim incomprehenſibilis, Hinc magnus ille Dauid, cui occulta, & abſcondita ſua Deus manifeſtauit, palam confitetur inacceſſibilem Dei cognitionem, dicẽs, *Pſal. 138.* Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero, ad ipſam, & ut altius repetamus, Confitebor tibi, quoniã terribiliter magnificatus es; ſi conſideremus quòd inquit terribiliter, hinc Dei cognitionem inaceſſibilem eſſe cognoſcemus: multa profectò ſunt, quæ licet miremur, non tamen admiramur cum timore, ueluti ſuperba columnarum ædifitia, magnifica parietum ornamenta, uenuſtas corporum pictu

ras,

ras flores,& elegantiam miramur abſq. metu, Miramur etiam immenſos gurgites, mariſq. uaſtitatem,ſed non ſine tremore cum eius inſpicimus altitudinem, atq. procellas; ſic & propheta cum uaſtum id, immenſumq. diuinæ ſapiẽtiæ mare inſpexiſſet, obſtupeſcit,ac ſummo cum timore demirans receſsit,atq. exclamauit. Confitebor tibi quoniam terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, Cum ergo hic clarus propheta opera Dei, ne dum eius ſubſtantiam comprehendere minime ualeat,quomodo fieri poteſt ut nõ ad extremum inſaniæ ſint profecti, qui tantum ab illius abſunt gratia, quantum quid ipſa Dei ſubſtantia ſit curioſè quærũt,& perſcrutantur?Hic idem eſt ille propheta,qui incerta,inquit,&occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi, qui tamẽ cum incerta, & occulta diuinæ ſapiẽtiæ perceperit, de hac eadem ſapientia retulit, immenſa eſt,incompræhenſibilis eſt; Dei magnitudo omnes tranſcendit limites,nullo deſcribitur fine,ecquis igitur eius ſubſtantiam deſcribere audebit, ſatiſq. complecti.

O animo

animo poſſe, opinabitur? Hinc cum Eſaias in ſpeculatione Dei cōſtitutus pro ſuo nobilisſimo philoſophiæ ſtudio diuinam cōtēplaretur eſſentiam, eam dixit eſſe innenarrabilem, cum in profetia de Chriſto teſtatus eſt, dicens; generationem eius quis enarrabit? non dixit, enarrat, ſed enarrabit, ut omnem poſteri temporis rationem ſecluderet: Quid uerò uas electionis Paulus, ut' poiè quia gratia ampliori frueretur, qui loquentem in ſe habuit Chriſtum, qui uſq. ad tertium cœlum raptus eſt, qui uerba audiuit arcana, quæ nō licet homini loqui, quæ de eſſentia Dei nobis explanata reliquit? omnino hic eſt, qui illa refert, ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, qui ſanè ubi ad particulares diuinæ ſapientiæ diſpē ſationes inſpexiſſet, & ad uaſtisſimum mare, & immenſos gurgites oculos conuerte is conturbatur, deficit, & recedit, ac uelu ti uertigine affectus propter imperuiam ſpeculationis uiam, illico uocem illam magnā exclamauit, ò altitudo diuitiarum, & ſapiē tiæ, & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt

judicia

iudicia ipſius,&inueſtigabiles uiæ eius;non incomprehenſibilia dixit,ſed inſcrutabilia, quòd ſi ſcrutationem non patiantur,longè minus percipi poſſint, atq; comprehendi, non arduas atq; difficiles,inquit,ſed inueſtigabiles,quòd ſi uiæ eius non ualeant inueſtigari,eò minus etiam quacunq; maxima difficultate aſcendi queant. Si autem hæc hi,qui ad menſuram cognitionis Pauli peruenerunt,aſſequi non poſſunt, quanta eſt eorum arrogantia,qui Dei eſſentiam ſe ſcire profitentur? Audiant ii quæſo eiuſdem Apoſtoli uerba primo chor. xiii. uidemus nunc per ſpeculam in ænigmate,&comprehendent quid mens humana uiatrix de Deo percipere poſſit: Hinc Deum meritò incõprehenſibilem appellamus, & licet ubique ſit,nuſquam tamen dicitur eſſe, nam nec loco aliquo continetur,nec loco aliquo excluditur, nec abeſt ulli loco, nec ullo capitur loco, quare hæc inquit Diuus Auguſtinus, Deus eſt in mundo non incluſus,extra mundum non excluſus, ſupra mũdum nõ elatus,infra mundum non depreſſus,ex qui

bus colligimus Deum eſſe intra omnia, & extra omnia, ſupra omnia, & infra omnia. Intra omnia quidem quatenus omnia replet, & eſt vbiquè præſens: eſt extra omnia, & quia cuncta continet, nec uſquam coarctari poteſt, & dum dicimus extra omnia intelligimus non actualem præſentiam ad locum, ſed potentialem, quæ eſt Dei immēſitas, quæ ſi mille eſſent mundi, quoſcūq. repleret: eſt ſupra omnia, omnibus namq. præſidet, omnia ab eo pendent, cuncta sūt ab ipſo creata, cuncta ſunt illi inferiora, nec aliquid ei æquatur: Eſt tandem infra omnia, quia cuncta ſuſtinet, quia cunctorum eſt fundamentum, quod tamen fundamentum eſt ſupremum, ex nullo pendens, nullo egens, infinitum ſupra terminos, quòd cuncta eſt actu, quòd origo eſt boni, perfectionis & roboris, ab omni priuatione ſeiunctum, aptum omnia facere, unitionis principium conſeruationis, & conſtantiæ centrum, & ſupra motum eleuatum, & hoc eo dicitur infra omnia, quia illa ſuſtinet, & ſine ipſo nihil ſubſiſteret; Quod quidem funda-

fundamentum, qui Deus Opt. Max. ubiq. eſſe dicitur, non ſic ut indignet rebus, quòd ſit in illis, ſed quia res illo egeāt, ut per eum ſubſiſtant: Deus enim ante rerum creationem, ante mundi conſtitutionem ibi fuit, ubi nunc eſt, ſ. in ſe ipſo, quoniam ipſe ſibi ſufficit. Hinc dictum eſt licet non altiori ſtylo, tamen profundiori ſenſu.

Dic vbi tunc eſſet, cum præter eum nihil eſſet,

Tunc, & nunc in ſe, quoniam ſibi ſufficit ipſe.

Ex quo patet rei eſſentiam eſſe infinitam.

Deus

Deus quomodo deſcribatur. Cap. XVII.

DEI eſſentiam in ſuperioribus,&non immeritò, diximus eſſe infinitam, quod iterum hac ratione affirmamus quia cū ſibimet ſufficiat omniū eſſe cauſam, nec ullas cauſas habere; & cum cauſis careat prioribus, quibus definiatur, ſeu terminetur, quæ ī definitione requiruntur, nimirum ſi nec Sancti Patres diuinam eſſentiam definire ſunt auſi, deſcribere quidem potuerunt, definire nequaquam: Hinc Ioan. lib. v. de orthodoxa fide cap. xii. diuinum eſſe relinquens, & oculorum imbecillitate aſpicere non ualens de nomine tantum, de eius nempe Ethymologia, hæc ipſe uerba fecit, Deus grecè dicitur ἀπὸ τοῦ θεῶ, quod eſt uideo, quia per omnia peruigil contemplatur, & uidet, ſic itaque Deus variò deſcribitur, ad quem

deſcri-

deſcribendum non eſt cur proprietates omnes, & conditiones in ipſius deſcriptione requirantur, hoc enim nobis omnino foret impoſſibile, & propterea quāpluriū eſt opinio, aliquas earum de ipſo notiores, & ſibi ſoli competentes poni in eius deſcriptione ſufficere, ex inde eſt quòd Dei deſcriptiones diuerſæ à diuerſis aſſignantur, ut ex ſanctorum, & doctorum depromptis licet perſpicue uidere: Sed in tribuendis Deo deſcriptionibus hæc eſt habenda ratio, vt per id, quod communiter illi ab omnibus Deum eſſe affirmantibus, conceditur conuenire, per illud ipſe deſcribi debeat, ueluti quòd Deus eſt ens ſummè bonum & perfectiſſimum in entibus: Verum illud etiam animaduerſione dignum, quòd quemadmodum gradus ſuperlatiuus & affirmatiuè & negatiuè poteſt exponi, ſic etiam iſte terminus Deus & affirmatiuè & negatiuè deſcribi ualet; Affirmatiua deſcriptio eſt, quòd Deus eſt ens quolibet alio à ſe melius, & perfectius: Negatiua eſt quòd Deus eſt ens, quo nihil eſt melius, uel perfectius.

Anſelmus

Anſelmus ſic Deum deſcripſit, Deus eſt quo maius excogitari nequit ; Hinc elicimus quòd quicquid eſt perfectionis , illud eſt Deo attribuendum; Vnde eſt hoc vvlgatisſimum apud Theologos, omnem entitatem perfectionem dicentem , eam in summo perfectionis gradu Deo attribuendam, ut ſimplicitas,entitatem uerò quæ imperfectionem ſignificat,eſſe pænitus ab ipſo remouendam..

Et ſi quis D. Auguſt. verba recolat in lib. v. de Trinit cap.v Quicquid dicitur de Deo dicitur ſecundum ſubſtantiam uel reſpectiuè,nihil verò ſecundum accidens : Erit iſte mouendus ibi loqui D Auguſt. de prædicatis illis, quæ Deo competunt ſecundum naturam diuinam, & eius intrinſeca, & non reſpectu creaturæ ad extra, quædam enim ex tempore de Deo dicuntur ſecundum accidens, nempè contingenter, veluti, Dominus, Creator, refugium, & huiuſmodi, quæ Deo contingenter attribuuntur , non propter Dei mutationem,ſed creaturæ, ut ex ſent.mag.depromitur lib.i.diſt.xxx.

Nolumus

Nolumus autem prætermittere quam ſub
tilis Doctor Deo præbeat deſcriptionem,
qui ſic Guilelmo in ſent. primo diſt. 2. re-
ferente deſcripſit, Deus eſt ens infinitæ intel
lectualitatis,voluntatis,bonitatis, potentiæ,
& ens ad ſe ſummè neceſſarium; Dicitur
infinitæ intellectualitatis,quia cum eſſentia
diuina ſit infinita, & ab intellectu diuino,
qui infinitus eſt,intelligatur,neceſſariò intel
lectualitas eius ſequitur infinita;Dicitur in-
finitæ uoluntatis,reſpectu ipſius infinitæ eſ-
ſentiæ,nam Deus videndo,vel amando eſ
ſentiam ſuam,vvlt quæcunq. ſunt,uel erũt
ab eo propter ſuam bonitatem : quapro-
pter ſcriptũ legimus,omnia quæcunq. uo
luit Dominus fecit in cœlo,& in terra;Dici
tur infinitæ bonitatis, hinc legitur Deum
eſſe bonum per eſſentiam, quia eſt infinitè
bonus: Vnde ſuper illud Matth.xxix.nemo
bonus niſi ſolus Deus,inquit Gloſſa,nemo
bonus .ſ. per eſſentiam niſi ſolus Deus;Di
citur infinitæ potẽtiæ, quia eſt omnipotẽs,
qui poſſe ipſius non poteſt inuenire non
poſſe,tamen aliqua non poteſt,vt potè falli

ſallere, mentiri, ignorare, initium, & finem habere, non præuidere præterita, obliuiſci præſentia, non attendere futura, neſcire, & tandem ſeipſum negare non poteſt; ecce quanta non poteſt, tamen eſt omnipotens, quòd ſuperius compræhenſa non poteſt, ſubiungitur in fine huius deſcriptionis, & ens ad ſe ſummè neceſſarium, dicitur uerè ens, quia ut diximus in antecedentibus, ipſe ſolus uerum eſt ens, cuius eſse eſt omnia eſſe, dicitur ad ſe ſummè neceſſarium, quia ſicut nihil eſſe ſine Deo, ita nec ipſe ſine ſe poteſt, ea propter iam iam affirmauimus, quòd ſe ipſum negare nequit, Hic itaq. breuiter eſt huius deſcriptionis intellectus.

Deſcribitur etiam Deus ab Hermete, ſeu à Mercurio in lib. definitionum Dei, quòd ſit Sphæra intellectualis, cuius centrũ vbiquè eſt, circunferentia nuſquam:

Dixit Mercurius Deum eſse Sphæram; quia ſicuti globus, ſeu Sphæra, quæ eſt tota rotunda non habet principium, nec habet finem, ſic Deus & principio, & fine caret, de ſe enim ſic dicit, ego ſum, α, & ω, principium

pium & finis.

Appellat ſecundo Deum intellectualem eòquòd ſit Spiritus, ut eſt idem Hermes in libro de bono ad Aſclepium teſtatus; Ex inde patet quàm grauiter Epicurei, qui affirmarunt Deũ eſſe corporalem, peccauerũt, ut innuit Mar. Tul. in lib. de Nat. Deorum.

Sed quidem uidetur ex plurimis ſacræ Scripturæ auctoribus Deum corporea habere inſtrumenta, & multi Deo ipſa attribuerũt, quapropter corporeus ex omnibus his poterit iudicari: Verum ad omnem hæſitationẽ, & quodcũq; dubiũ de medio tollendum, notare debemus, quòd quælibet inſtrumenta corporea, quæ in cunctis prophetiæ libris inuenerimus, uel ſunt motus localis inſtrumenta ad uitam ſignificandã, uel ſunt inſtrumenta ſenſus ad apprehenſionem demonſtrandam, uel operationis ad opus exhibendum, uel ſermonis ad ſplendorem intellectus, qui ab eo ſuper prophetas effunditur, oſtendendum: & omnium horum cauſa, quæ ſic Deo attribuerunt, erit, ſi

cordibus noſtris imprimatur increatum eſſe creatorem, uiuum, cunctorum factorem, quæ ſunt extra ipſum, apprehenſorem operum ſuorum: Rationes ergo inſtrumentorū corporalium, quæ creatori attribuuntur, omnia dicunt, ad nobis aperiendum ſuper operibus ipſorum inſtrumentorum perfectionem, & ad ſignificandum Deum in fine perfectionis eſſe perfectum.

Inſtrumentum verò motus localis, quod ei attribuitur, eſt ſicut dicitur, ſcabellum pedū meorum, & locus plantarum pedum meorum; Inſtrumenta operationis, quæ illi aſſignantur, ſunt ueluti cum dicitur, manus domini, digiti domini, opera digitorū tuorū, & poſuiſti ſuper me manum, & brachium domini, cui reuelatum eſt, & dextera tua domine: Inſtrumenta ſermonis attributa ſunt ei, cum dicitur, locutus eſt dominus, & aperuit labia ſua tecum, & uox domini in veritate, & lingua eius ſicut ignis ardens: Inſtrumenta ſenſuum ſunt hæc, occuli eius uidēt, & palpebræ eius interrogant filios hominum: Inclina Domine aurem tuam, & audi

di; Ignem ſuccendiſti in naribus noſtris:
De membris verò interioribus nil Deo præter cor inuenitur aſſignatũ, quia eſt nomẽ æquiuocum,& intellectum ſignificat,& in animalibus eſt uitæ principium.

Quid autẽ diximus ex inteſtinis ſolum cor Deo tribui? nonne, & uiſcera illi aſſignantur, nonnè dictum eſt,efferbuerunt uiſceræ eius?

Solum profectò cor Deo tribuitur uiſcera uerò ibi pro corde accipiuntur;hoc enim nomen,uiſcera, ſpiritualiter dicitur de inteſtinis,generaliter uerò de omni membro interiori, ſecundum hoc dicitur de corde, quòd per hoc probatur, quod dictum eſt, lex tua in uiſcerib⁹ meis,ac ſi diceret in corde meo; Rugitus autem non conuenit niſi cordi, ſicut dicitur, Rugit in me cor veſtrum.

Nomen humeri creatori non eſt accommodatum,quia hoc eſt membrum oneris, & res lata cum latore iungitur, nec data ſunt ei nutrimenti aliqua inſtrumenta, eòquòd in eis manifeſtus eſt defectus

etiam

etiam in cogitatiouis initio; Deus corporalibus inſtrumentis, & corpore uerè omnino caret;

Ea propter Hermes optimè dixit in ſua deſcriptione, qua ipſum deſcripſit, Deum intellectualem eſſe i. ſpiritum,& ſubdit, cuius centrum eſt vbiq. centrum Sphæræ dicitur punctus, qui in eius medio conſiſtit. Centrum verò Dei ipſum eſſe vbiq́, quòd centrum eſt creatura, ſeu cuncta ab ipſo creata, creatura enim, & totum uniuerſum eſt ſicut punctus reſpectu Dei: Hoc eius centrum dicitur eſſe ubiq; quia nullus eſt locus, in quo à Deo creata nō reperiantur, vbi eius non adſit creatura.

Et addit Hermes, quòd ipſius circunferentia nuſquā, ad oſtendendam huius Sphæræ nobilitatem: Sphæra enim materialis habet ſuam circunferentiā; hæc autem diuina Sphæra, Deus nimirum nuſquam circunferentiam patitur, eo quia eius maieſtas nequit comprehendi.

Deus

Deum eſse Inuiſibilem.
Cap. XVIII.

DEVM iam incomprehenſibilem eſſe ex præcedentibus oſtendimus, ex quibus concomitanter eundem nobis inuiſibilem eſſe colligimus; Verum licet ab hominibꝰ nequeat Deus ipſe videri, ne quis tamen ex eo ipſo putaret Deum non eſſe, quia mortalibus oculis non videretur; inter cætera inſtitutorum ſuorum miracula, fecit etiam multa, quorum uis quidem apparet, ſubſtātia tamen non uidetur, veluti uox, odor, uētus, vt harum rerum argumento, & exemplo, etiam Deum licet ſub oculos non ueniret, de ſua tamen ui & effectu, & operibus cerneremus: Quid enim uoce clarius? aut uento fortius? aut odore uiolentius? Hæc tamen cum per aerem feruntur, ad noſtroſq. ſenſus perueniunt, & eos ſua impellunt

lunt potentia, luminum acie minimè cernuntur, ſed aliis corporis partibus ſentiuntur: Similiter Deus non aſpectu nobis, alio uè fragili ſenſu eſt comprehendendus, ſed mentis oculis perſpiciendus, cum opera eius præclara, & miranda uideamus. Hinc ex mutua illius erga nos charitate, Deum in nobis eſſe cognoſcimus, atq. id rectè quippè cum multa etiã alia ſint præter ea, quæ recenſuimus, quippe quæ licet uideri nequeant, ex operibus tamen eſſe percipiuntur: Quemadmodum enim animam, quã minimè intuemur, ex motibus & operationibus eius nobis ineſſe intelligimus, ſic Dei quoque erga nos charitatem ex quodam ſe rè motu, & operatione cognoſcimus: Videre autem nullo pacto nequimus: Nam id quod eſt Deus (ut D. etiam Ioan. Chriſoſt. inquit in Homel. xiv. ſuper Ioan. cap primum) non modo prophetæ non uiderunt, ſed neq. Angeli, neq. Archangeli.

Ecquid forſitan alicui nouum eſſe uidebitur, eò quia Angeli diuina uiſione fruuntur in cœlis, & Deum creatorẽ cõtẽplãtur?

Vtiq.

Vtiq. ipſum intuentur, ſed eius ſubſtantiam, ſeu rectius dicendo, eius ſubſtantiæ quidditatem uere aſpicere, & cognoſcere nequeunt; ſecundum quod dicitur ſibi ſoli diuinam Trinitatem eſſe notam: Quamobrem ſi Angelos percunctabimur, nihil ab his de Dei ſubſtantia audiemus, ſed tantum referentes, Gloria in altisſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis: ſi Cherubin, & Seraphin, ſanctificationis laudem audiemus, plenum eſſe cœlum, & terram gloria eius: ſi ſupernas virtutes, nobis pariter reſpondebunt, ſibi ut unum Deum laudent opus eſſe: Hinc dicitur, laudate eum omnes uirtutes eius, ſolus autem ipſum uidet filius, & Spiritus Sanctus. Quòd ſi omnis natura creata eſt, quanam ratione poterit uidere increatum? Quare D. Paulus, quem (inquit) vidit nemo hominum, neq; uidere poteſt.

Sed quid dicemus clarisſimo prophetæ Eſaiæ, cum inquit. Vidi dominum in trhono altisſimo ſedentem? Quid Ioanni de eo teſtimoniū perhibēti, quod hæc etiā dixit,

quando uidit gloriam eius,& de eo locutus eſt? Quid Ezechieli etenim ipſe quoque ſuper Cherubin cum ſedentem uidit? Quid præterea Danieli dicenti, Antiquus dierum ſedit? Quid ipſi Moyſi,oſtende mihi gloriam tuam? Quid autem Iacob,qui etiam ab hoc appellationem accepit, cum Iſrael vocatus eſt, quòd Deum uidens interpræ-tatur,nec non & aliis,qui ipſum viderunt? quid ergo dicit D.Paulus quem uidit nemo hominum,nec uidere poteſt? Quid Ioannes,Deum nemo vidit unquam?

Hoc iſti ſanctiſſimi uiri profectò dixerunt,vt illa omnia promiſſionis fuiſſe, non ipſius puræ ſubſtantiæ,demonſtrarent: Nã ſi illam uidiſſent, nulla ex parte vidiſſent differentem, quippè quæ eſt ſimplex,pura,nõ compoſita,nõ deſcriptibilis, nec etiam corporis,ueluti iacere, ſtare,ambulare exercet offitia; Quomodo autem id ſit, ipſe nouit ſolus,quòd per prophetam ſignificauit;ego uiſionem multiplicaui,& in manibus prophetarum aſſimilatus ſum, hoc eſt,promiſi,non tamen id, quod eram me oſtendi:

Hinc

Hinc Deus non intra, ſed extrinſecus uiſus eſt à prophetis. Vidit quippe ipſum Eſaias, ſed extra in throno excelſo: Pariter extra uidit ipſum Ioannes: Vidit Exechiel, ſed extra in animalibus oculatis: Vidit Daniel, ſed in uiſione noctis, & in hominis ſimilitudine, cum nondum hominem ſuſcepiſſet: Vidit Deum Moyſes ſed extrà per cauernã, & in petra; uidit profectò, ſed eius poſteriora vidit: Iacob etiam ſolummodo uidit extrinſecus, & alii etiam qui ipſum uiderunt. Vidit etiam olim Abraam, ſed extrinſecus apud quercum Mambre: Vidit & Iob, ſed extra per turbinem, & nebulas: Vnde, manifeſtè apparet non eſſe unam, nec ſimplicem, nec vniformem Dei uiſionem, Quapropter nos quoq. diuerſa ab illa ſanctorum patrum viſione Deum videre valem', videre eſt enim ſecundum quod ſcriptum eſt Ioan. xiv. Qui videt me, videt & Patrem meum, hinc mundi corde Deum videbunt, mundi enim corde ſunt, qui non ſolum non faciunt malum, nec cogitant, ſed adhuc etiam qui omne bonum peragunt

gunt ſemper,& illi totis cogitationibus innituntur : Nam eſt interdum facere bonum, & non cogitare, qui non propter Deum faciunt bonum,&tale bonum non remunerat Deus, quoniam non remuneratur à Deo bonum,quod fit, ſed id quod bene fit: Qui autem Dei amore bonum per agit, hic ſinè dubio & bonum cogitat; qui ergo omnem iuſtitiam facit,& ſua mente reuoluit, Deum uidet; eſt enim iuſtitia figura Dei, quia Deus iuſtitia eſt; ſecundũ ergo quòd eripuerit ſe quis à malis,& fecerit bona, ſecundum illud & Deum videt, aut turbulentè,aut mundè,aut modicè,aut amplius,aut ex parte,aut perfectè,aut interdum,aut ſemper,aut ſecũdum imbecillitatem humanam : Hoc ipſo modo & qui malè agit,& cogitat diabolum videt,quia omne malum diaboli eſt figura.

Docet nos Doctor Seraphicus in ſecunda ſent.diſt.x. art.3.q.2. nos tripliciter poſſe Deum uidere; primo uiſione corporali eum in ſubiecta creatura apparente contẽplando. Secundo per ſpeties intelligibiles,

imagina-

imaginaria mentis uiſione, per ſimilitudines: & demum uiſione intellectuali, qua Deus in ſe ipſo lucens conſpicitur; à creatura tamen naturalibus uiribus conſpici nequit, uidelicet in diuina eſſentia. Vnde Gloſſa ſuper illud Thimothei primo, quod Deus habitat lucem innaceſſibilem, inquit innaceſſibilem viribus noſtris, ſed acceſſibilem muneribus ſuis.

Deum eſſe incorporeum. Cap. XIX.

EX prædictis autem de incōpræhenſibilitate, & inuiſibilitate, Dei, ipſum eſſe ſpiritum, & incorporeum elicimus, ſiquidem per facilè negemus ipſum corporea natura conſtare: Nam omne corpus nullo modo mouetur, niſi externo agitatu impellatur: cum autem Deum ſtatorem eſſe, impulſorem, agitatorem, immobilem, initium, & fontē

eſſe motus omnes coacti fateantur, in promptu uideri debet ἀσώματον ipſum eſſe, ut græci dicunt, & corporea natura vacare; Hinc dicitur Ioan. 4. ſpiritus eſt Deus.

Hoc etiam patet ſi conſideremus Deũ inter omnia entia eſſe nobilisſimum ; corpus uerò ſiue ſit viuens, ſeu etiam uitæ ſit expers inter entia non eſt nobilisſimum; nã ſi uita careat, conſtat corpus uiuum, ut ſic corpore non uiuente nobilius exiſtere, corpus verò uiuens nec etiam dici poteſt nobilisſimum in entibus, neceſſe eſt enim, ut per aliud uiuat nobilius, nempè per animam, & ſic cum id, quod non eſt nobilisſimum, Deo non ſit attribuendum, etiam corpus eſt ab eo pœnitus auferrendum.

Ad hæc accedit, quod ſicuti Deo repugnat eſſe finitum, ſic corpori obſtat eſſe infinitum; Quod & de circulari, & de corpore recto à philoſopho in primo cœli & mũdi, a tex. com. xxxv. uſq. ad 76. incluſiuè latisſimè probatur ; Quamobrem Deus non poteſt eſſe corpus, ſecus aliquid Deo maius mente, & intellectu noſtro excogitare

re ualeremus, quia imaginatione quodlibet corpus finitum tranſcendere ualemus, Deum uerò nequimus.

Hinc fit conſpicuus error credentium in Deo diſpoſitiones eſſe corporales, quippè qui cum in hiſce libris, qui legis, & Prophetarum referrant dogmata, inuenerint, quòd creatori diſpoſitiones,& nominationes attribuebantur, illud tantum iuxta literam, pænes ſolum legendi modum intellexerunt, nil ulterius ſpeculare ualentes : Ex quo Deum corporales diſpoſitiones habere, & ei corporalia competere crediderunt, &hoc ita putarunt, ueluti ſi ab eo corporeitatem remouerent,non tamen ea,quæ corporeitatem conſequuntur, quemadmodũ accidẽtia,hoc eſt animæ diſpoſitiones,quæ ſunt qualitates auferrent ab ipſo:Nos uerò inueniemus quamlibet diſpoſitionem, ſeu nominationem Deo attributam; iuxta opinionem credentiũ diſpoſitiones ineſſe creatori; de genere qualitatis exiſtere,licet quod illis asſimilarent , in quibus erant excitati, quippequæ in quocunq́. animato corpore

reperiun-

reperiuntur, minimè declarauerint: De om nibus autem dictum eſt, locuta eſt lingua hominis, ſed horum cunctorum intentio eſt ad perfectionem in creatore, nil attribuendo ipſius ſubſtantiæ, aperiendam; Dicimus perfectionem pœnes id, quod inuenitur in re animata, maiori uerò ex parte ope rum ſuorum uariabilium ſunt diſpoſitiones, in uariatione autem effectuum efficiens cauſa non uariatur, Cuius rei ſi perqui ramus exemplum in his, quæ nobis ſunt manifeſta, poteſt facillimè patere, ignis ſi quidem quædam liquefacit, nonnulla coagulat; alia mollificat, aliqua denigrat, iſta comburit, & illa dealbat, & ſi quis de ipſo diceret, quòd eſſet albator, denigrator, com buſtor, & ſimilia, iſte profectò uera narraret, ſi quis uerò ignis naturam ignoraret, in eo diuerſas virtutes, quarũ denigraret una, dealbaret altera, & cætera huiuſmodi eſſe cenſeret, quoniam effectus diuerſi pœnitus eſſe conſpiciuntur: Qui verò ignis naturã optime naſcit, hic per vnã ſimplicem quali tatem actiuam .ſ. calorem, omnia prædicta

credet

credet ipſum operari, ſi ergo hoc in agente naturali, & ſine voluntate ſequi videmus, quò magis in eo, qui per voluntatem operatur? quò magis in Creatore, qui omni nominatione eſt ſublimior? cum de ipſo in creaturis varios reſpectus apprehendimus, quia ſapientia eſt in nobis extra potentiam & potentia extra voluntatem, Quomodo ergo de neceſsitate dicimus iſta ſequi, vt ſint in eo diuerſæ rerum ſpecies, adeo ut ſapiat per vnam, velit per alteram, & per tertium denique poſsit? Hæc eſt nominationum ratio, quæ de ipſo dicuntur? Hinc dixerunt nonnulli ſapientum, quòd eſt potens in ſua ſubſtantia, unus in ſua ſubſtantia, volens in ſua ſubſtantia: Sed id vlterius indagantes, inducamus amabo ſimilitudinem, & ſit exemplum de rationali uirtute, quæ in homine reperitur, quæ quidem eſt unica potentia omni multitudine ſegregata, & per illam homo diuerſos, & varios operatur effectus, cōſtruit, componit, ædificat, arithmeticam profitetur, ciues regit, & quælibet iſta tam diuerſa ex vna ſimplici potē

tia,in qua nulla eſt multitudo, ſequuntur, Quod cum ita ſit,quomodo à ſublimis,& excelſi Creatoris Dei potentia auferremus, quòd iſthæc,quæ diuerſa operatur, ab una ſimplicisſima ſubſtantia à quacunq; multitudine aliena;&ſuper quam non eſt aliquid additum,emanent,atq. proueniant? Deus eſt ſimplicisſima ſubſtantia, nec eam effectuum diuerſitas, ueluti putauerũt nonnulli,minuere,ſeu perturbare valet; Hinc Deũ non eſſe compoſitum,nequè ulla coagmẽtatione cõcreatum eſſe diximus,ex eo quia quidquid connectitur, neceſſe eſt omnino aliquem habere coagmentatorem, nec nõ quia etiam quodcunque ſtructum eſt, atq. compoſitum,tandem euerti, & labefactari debet: Deus autem nullo modo labefactari poteſt,eſt enim æternus,&ingenitus:quidquid verò gnignitur naturam habet patibilem commutationis, et motus,cum autem Deus nullo modo moueatur,intelligi maximè poteſt eum eſſe æternum , orſu,& fine uacãtem,cui quidem nulla temporum ſucceſſio eſt aſcribenda : omnia nanq præcedit.

dit tempora diuina æternitas, nec in Deo præteritum,præsẽs, futurũve aliquod creditur, ſed omnia præſentia in ipſo dicuntur, eòquòd æternitate ſua cuncta complectitur; alioquin ſi illi temporum ſucceſsiones aſcriberentur,mutabilis Deus cenſendus foret à nobis: tempora uerò non ad eas creaturas,quæ ſuper cœlos ſunt,ſed ad eas,quæ ſubter,pertinere cognoſcuntur, non enim omnipotenti Deo accedunt tempora, uel ſuccedunt,ſed nobis,qui ſub cœlo infimo. in hoc mundo uerſamur, ſimplex itaq. eſt Deus in ſua eſſentia,quia nil euenit ei, quinimo perfecta ſimplicitas reperitur in ipſo, cum nulla ibi poſsit fieri additio, quicquid enim eſt in Deo Deus eſt,& quod in eo nõ ſit cõcretio uideamus diſcurrendo per partes concretiuas,in Deo nanq. non eſt compoſitio partium integralium, veluti in ædificio, in Deo non eſt coagmentatio partiũ potentialium ut in anima, in Deo non eſt ſtructio generis,& differentiarum,ut in ſpecie,in Deo non eſt diſpoſitio materiæ,&formæ,uelut in corporibus, in Deo non eſt

diſpoſitio materiæ,&formæ,uelut in corpo ribus,in Deo nō eſt coaceruatio unitatum, ut in numero, in Deo non eſt compages, quod eſt,&quo eſt,ut in Angelis,in Deo nō eſt ſtructura ſubſtantiæ, & accidentis, ut ī indiuiduo, in Deo tandem non eſt incorpo reæ,uel corporeæ ſubſtantiæ confectio, ut in homine, Quare omnipotenti Deo nulla σύνταξις poteſt attribui. Sed ſi in Deo ſunt eſſe eſſentiæ, & eſſe perſonæ, quorum iſtud diſtinctum eſt, illud verò indiſtinctum, nō ne in ipſo eſt differentia? quomodo ergo ſimplicitas? ſi itidem in Deo eſt ſubſtan-tiæ unitas, & perſonarum pluralitas, quæ ſunt diſparata,quomodo poteſt intelligi in eo perfectam eſſe ſimplicitatem? Eſt profe-ctò in Deo ſimplicitas,nec cum in ipſo ſint eſſe eſſentiæ,& eſſe perſonæ, unum diſtin-ctum, alterum indiſtinctum,ob id apparet eius minui ſimplicitatem, tolleretur quidē ſi ſecundum idem dicerentur diſtinctum & indiſtinctum in Deo,ſed cum totum cō ſtet oppoſitum, eſſe enim indiſtinctum at tenditur pœnes ſubſtantiam,diſtinctum ue

rò pœnes relationem, quod ſolum exiſtentiæ modum,& nil aliud ad ſubſtantiam ſignificat,conſpicuè patet Dei ſimplicitatem perfectam,& abſolutisſimam remanere: Nec ob ſubſtantiæ unitatem, & perſonarũ pluralitatem,Diuina ruit ſimplicitas, ex eo quia pluralitas illa non eſt in genere vnitatis illius,nam cum in Deo dicitur perſona, & ſubſtantia, per hoc nomen Perſona nil additur diuinæ ſubſtantiæ, Conſtat itaq. ex diuinis nihil omnino diuinæ ſimplicitati detrahi poſſe : A qua tam lucida ueritate, motus etiam ipſe Philoſophus, qui fidei lumine carebat in metaph.xii. primam ſubſtantiam, quæ eſt Deus faſſus eſt omnino ſimplicitatem eſſe,quem quidem cum ſolus ſit ſimplicisſimus meritò actum puriſſimum eſſe fatemur,ex quo aſſerimus Deũ nullo potentiæ nexu deuinciri,cum quodcunq. potẽtia continetur alicui ſit herili naturæ ſubiectum,At cũ Deus princeps,cauſa dicatur,nullum nanciſci poteſt præſidentem herum,igitur nec ulla potẽtia continetur; ſed ſimplex eſt,& actus puritate pollẽs.

Deum non eſſe materiam. Cap. XX.

DEVM incorporoeum, ab omni concretione alienum, ſimplicem, purum actum, quolibet potētiæ nexu vacantem eſſe, diximus, ex quo apparet ipſum non eſſe materiam, cum materia potentiæ vinculis deuinciatur, Et quod eius naturæ nullum ſit materiæ genus admixtum manifeſtum eſt; Quandoquidem materia initium agendi nullo modo dicitur, Deo autem competit eſſe rerum principem cauſam, ut iam iam in præcedenti cap. poſuimus: Et ſi materia videretur eſſe cauſa, non tamen nobis ipſam alicuius in actu præter ſui mutationē cauſam eſſe probabitur, Deus uerò cuilibet permutationi obnoxius, & immobilis rerum efficiens cauſa perſpicitur: Hinc Deū non de ſua ſubſtantia, ſed ex nihilo cuncta

creaſſe catholica fides confitetur. Quare his, qui omnia in materiam, ueluti in cauſam primam reducebant Philoſopho reſpõdendi partes relinquemus; Quò nempe hoc inconueniens ipſe deducat in 2. phyſ. tex. com. 77. ſi Deus, qui eſt prima cauſa eſſet cauſa materialis rerum, quæcunq. à caſu exiſtere foret neceſſariò dicendum, cum ergo Deum materiæ non admiſci uiderimus, rectiſsimè quoq. ipſum aduentitia, ſeu accidentia minime pati probare ualemus, ſi quidem ſui pollens, & exiſtens natura per ſe nullius eſt particeps, quod non ſit ſuaptæ naturæ proprium, quæ ſui par, ſuiq. ſimilis exiſtit, Verum cum in Sacra Theologia clariſsimum ſit in Deo non eſſe accidentia, de eis ſermonem ommittemus.

Deum non eſſe formam vniuerſalem. Cap. XXI.

SED nec illud in cor hominis aſcendat, vt Deum rerum omnium eſſe formale exiſtere arbitretur, diuinum enim eſſe non eſt eſſe ſubſtantiæ, & accidentis, ſicut eſſe formale rerum, quod diuiditur per iſta, diuina uerò eſſentia eſt omnino iudiuiſibilis, Quare ſi Deus foret eſſe formale reium, cuncta ſimpliciter unum eſſent, quòd impoſſibile pœnitus apparet, quia omnia haberent unum, & idem eſſe, nam cum rerum omnium ſit in hoc conuenientia, quòd omnia eſſe participant, ſi eorum eſſe danda eſt differentia, erunt ipſius eſſe aſſignandæ differentiæ ſpecificæ, uel diuerſæ conſtituendæ, naturæ, in quibus recipiatur, Non erunt profectò aſſignandæ differentiæ, eo quia enti differentia addi non poteſt, Nec conſtituē-

dæ

dæ diuerſæ naturæ, vt recipiatur in illis, quia diuinum eſſe, nõ eſt eſſe in natura receptũ, ſed eſt ipſa natura diuina, quare ſi diuinũ eſſe foret omnium eſſe formale, omnia vnum eſſe ſimpliciter haberent, & alia etiã exinde cõſequerentur abſurda, veluti quòd eſſe cuiuslibet rei fuerit ab æterno, quum eſſe diuinum ſit æternum, & ſic generatio, & corruptio tollerentur ex uniuerſo quia ſi detur generatio, oportet ut illud eſſe eternum præexiſtens de nouo acquiratur, & uel rei prius exiſtenti, uel minimè exiſtenti, ſi exiſtenti, id quod gignitur non acipiet nouum eſſe, ſed ſolummodo nouum eſſendi modum, quũ prius eſſet, & ſit certum eſſe omnium iuxta propoſitionem illam, qua propter non generabitur ſed alterabitur: Si acquiratur rei non exiſtenti, tunc fiet ex nihilo, quod generationi repugnat: eſt itaq. omnino credendum nullo modo Deum poſſe eſſe formam rerum uniuerſalem.

Nunquid ergo falſum eſt quod dicimus, Deum eſſe omnibus in rebus? Nunquid ergo malè dixit Dyon. in 4. cap. de celeſti

Hierar. eſſe omnium eſt ſuperſubſtantialis diuinitas: Quomodo ergo dicimus Deū non exiſtere omnium eſſe formale.

Fatemur profectò Deum eſſe cunctis in reb⁹, abſit ut negemus dictum D. Dyonis eſſe verum, ſed qui ita hæc interpretantur, quaſi per iſta Deum eſſe rerum formam vniuerſalem ſit intelligendum, falsò arbitrātur, dū dicimus enim Deum eſſe in rebus, non intelligimus quòd ſit in illis, tanquam aliquid rei, ſed veluti eius cauſa, quæ nullo modo ſuo unquam deeſt effectui, quare eſt Deus in rebus, non tanquàm forma, ſed tamquàm cauſa uniuerſalis, Nec Deum exiſtere omnium eſſe formale ex uerbis D. Dyoniſii elici poteſt, quia ſi diuinitas eſt omnium forma uniuerſalis, non erit ſuper omnia, ſed intra omnia, imo aliquid omnium: Cum igitur diuinum eſſe uniuſcuiuſq. rei naturā omnino excedat, eiuſq. natura ſuper omnium naturas collocetur, ut uoluit etiam Dyonis: ſequitur ut non ſit rerum eſſe formale: Ex eo uerò, quòd dixit ipſe Dyon. quòd diuinitas eſt eſſe omnium,

oſtendi-

oſtenditur,quòd in omnibus quædam Diuini eſſe ſimilitudo reperitur, ſic ergo,emergentibus dubitationibus ablatis, concludamus Deum non eſſe formam uniuerſalem rerum.

Deum non eſſe formam particularem. Cap. XXII.

NEC ob id quia diximus Deũ non eſſe formam rerum uniuerſalem cenſendum eſt à nobis Deum eſſe formam corporis alicuius particularem, eo quòd nullius eſſe naturæ poteſt, quæ non eius eſſe naturæ dicatur, Quare nec fieri ullo modo poteſt, ut alterius corporis forma uideatur; Nam quælibet natura per ſe exiſtens omnino ea præſtantior uideri debet,quæ in altero cõſiſtit, At cum omnis alterius corporis forma in altero nitatur,præclarè ſciri poteſt principẽ cauſam alterius corporis eſſe formam mini

mè poſſe, in quo quidem facile priſcorum Philoſophorum veternus agnoſcitur, qui dum princeps initium materia præditum uolunt, non intelligunt ſe Deo abſolutionē expletam adimere, quum princeps initium materia præditum ab abſolutione longiſſimè abſit, ſed nos cum Deum maximè in actu uerſari dicamus, intelligi etiam uolumus cumulata eum abſolutione expleri: Nec minus eſt eorum Philoſophorum minuendus adeps, qui licet quod eſſet interminatum, Deum eſſe cenſerent, non tamen uidebant æquè ſe in infinitate, ac in principiis initii natura labi, nam cum id materiæ præditum efficerent ei infinitatem quoq. materiæ compotem annecti volebant, affirmantes aliquod omnino corporis interminati genus initium, & fontem eſſe verum. Nos verò cum Dei naturam in altero nullo modo niti, ſed per ſe exiſtentem, ſuiq. pollentem videamus, facilè intellectu eſſe dicimus eum interminatum debere credi, & cum ſit interminatus, atq. infinitus minimè ualere formam corporis alicuius exiſtere

per ſe

per ſe patere poteſt: At cum omnes formæ in vnam principem formam recurrant, eã igitur ponere videtur omnino neceſſe, nã in formis naturalibus ortui, & interitui obnoxiis, alteram una præcedit; quæ materiã, vt recipiat formam illam diſponit, & illam etiam alia, quare vt ad infinita proceſſus, & circulus in formis euitentur peruenire debemus ad unam principem formam neceſſariam ad hoc vt ſint mediæ formæ, hæc autem forma in entium uniuerſitate aliquo modo erit ipſe Deus; Nec tamen cenſendum, cum dicimus Deum eſſe formam, quòd ſit illa de qua Philoſophus in metaphyſicis uerba facit, eſt enim & interitu uacans, & ortu, illa verò forma de qua fit ibi mentio naturalis eſt, nec eſt intellectus ſeparatus.

Quòd uerò Deum formam eſſe aſſerimus, non eò dicimus ut ipſum formam in materia eſſe uelimus, adeò ut ſit forma corporis, ſicuti materiæ, ſed ueluti omne forma præditum non eſt ſua ſubſtantia, niſi in ſuã forma, qua corrupta corrumpitur, & deſtruitur

ſtruitur eſsentia, ſic & Deus eſt ad cuncta factorum principia etiam remota, quoniā in eſſe Dei eſt omne quod eſt, & ipſe cunctis præbet firmitatis auxilium per modū, qui uocatur ſplendor. Et ſi in cor hominis aſcenderet, Deum eſſe non ens; cuncta eſſent non entia, & cauſarum ſubſtantia deſtrueretur, & tollerentur tam mediæ, quàm ultimæ cauſæ, ſicut ergo forma cōparatur ad id cuius eſt forma; eò quia ex ipſa eſt quicquid exiſtit, & per ipſam perficitur, ſic & Deus reſpectu iſtius mundi ſe habet, & iuxta hunc modum, ipſum principem formam, quæ eſt forma formarum appellamus, quia ipſe eſt eſsentia cuiuslibet formæ, quæ eſt in uniuerſo, & decor eius ex ipſo, ſicut forma eſt decor rei formatæ; Quapropter in lingua noſtra uocatur uita ſæculorum, & firmitas eius, uel potius cauſa, adeo ut impropriè formam dici poſse aliò concludamus.

Deum eſſe vnum. Cap. XXIII.

SED an iſte Deus noſter ſit unus, non quia dubitet Chriſtiana Religio, ſed quia quàm plurimi ex antiquis Philoſophis, præcipuè Gentiles omnes pœnitus ab unitate diſtarunt, & ſic vt etiam rationibus eam tollere niterentur, ad eorum prauas opiniones euertendas diſſerendum neceſſe videtur: Nos quidem unum eſse Deum intelligimus, qui & condiderit omnia, & eadē qua condidit virtute, moderetur; Quid enim opus eſt multis ad huiuſmundi mollem, regimenq́. ſubſtinendum? ſi ne plures Deos ponamus arbitrari cogimur ſingulos minoris virtutis, atq; imbecilles eſse; ſi quidem ſinguli, abſq́ cæterorum ope tantæ mollis gubernaculum ſubſtinere, ac regere minimè poſsent: Sed unus quiſq; intra præſcrip-

tam

tam portionem ſe contineret,nec curare va
leret alterius: Deus verò, qui eſt æterna mẽs
eſt undecunq;& ex omni parte perfectæ,&
conſummatæ uirtutis, nulloq; eget auxilio
ad mundi huius cuſtodiã, Quare & ipſum
unum ſatis eſt ponere,& eſt hac ratione ne
ceſſe; Princeps enim poteſtas, & abſoluta
virtus ſuam propriam retinet firmitatem:
Id autem firmisſimum eſt omnino cenſen
dum,cui nihil decedere,id perfectum,cui ni
hil posſit accedere ; unus quippe Deus eſt,
qui totius orbis habet imperium , ſumma
enim illa rerum poteſtas ac diuina uis ne ſe
mel quidem diuidi poteſt , quicquid enim
capit diuiſionem, & interitum capiat neceſ
ſe eſt , Et quum interitus ſit procul à Deo,
eo quòd incorruptibilis eſt , & æternus, eſt
conſequens ut in plures Deos nequeat diui
di diuina poteſtas. Si quis autem putaret hu
iuſcæ machinæ magnitudinem haud ab
uno ſolo regi poſſe, is profectò falleretur ,
Hic enim diuinæ maieſtatis uirtutem mi-
nimè intelligeret , ſi cenſeret ſingularem
Deum,qui facere mundum potuit, eundẽ

rege-

regere non ualere, quem creauit. Qui igitur non ſunt mentis emotæ Deum vnicum mundi creatorē, & ſeruatorem piè, uerèq́. fatebuntur, id quod & Gentilium nonnulli crediderunt, & præſertim Poetæ, qui licet Deos plures carminibus ornarint, & res eorum geſtas ſummis præconiis celebrauerint, confitentur ſæpisſimè tamen ſpiritu, vel mente una contineri, regique cuncta; Orpheus enim uetuſtisſimus Poetarum Deum uerum πρωτόγονον, & magnum primogenitum appellauit, quod ante ipſum nihil ſit genitum, ſed ab ipſo ſint omnia generata, eundem etiam φάνητα, ideſt apparentem nominat, quòd cum adhuc nihil eſſet ex infinito apparuerit, & extiterit, cuius originem, cuiuſq́ naturam, quia concipere intellectu non poterat, ex aere immenſo natum eſſe dixit, πρωτόγονος Φαέθων περὶ μήκεος ἠέρος Nā aliud amplius quod diceret non habebat, Hunc ait eſſe omnium Deorum parentem, quorum cauſa Cœlum condiderit, liberiſq́. proſpexerit, ut haberent habitaculum, ſedemq́. communem, ἔκτισεν ἀθανάτοις δόμον ἄφθιτον.

T Natura

Natura igitur, & ratione ducente intellexit eſſe præſtantisſimam potentiam Cœli, & terræ conditricem, Non ualebat enim Iouem rerum Principem appellare, qui eſſet ſaturno genitus, neq. ſaturnum ipſum, qui è cælo trahens originem, ipſo natus ferebatur: cœlum uerò tanquã Deum primum conſtituere non audebat, eò quia mundi elementum eſſe uidebat, & quòd eguerit auctore: & hæc eum perduxit ratio ad illum Deum primogenitum; cui aſſignat, & tribuit principatum: Virg. etiam nõ multum ab fuit à ueritate, quippe qui de sũmo Deo ipſum Spiritum, ac mentem nominando, ita locutus eſt,

Principio Cælum, Terras, campoſq; liquẽtes,
Lucentẽq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra,
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mẽs agitat molẽ, & magno ſe corpore miſcet.

Et quia pauci fortè quis nam eſſet ille Spiritus talis ac tantæ virtutis ſpeculati fuiſſent, ideo illud his verbis alibi declarauit.

Deum

Deum namq; ire per omnes
Terraſq; , tractuſq; maris, Cœlũq; profũdum;
Hic pecudes, armẽta, viros, genus omne ferarũ,
Quenq; ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Ouidius quoq. in principio Metamorphoſeos poſtquã deſcripſit Chaum, Deum vnicum, Principem abſolutè fatetur, quem naturam meliorem appellat, quum dicit;

Hanc Deus, & melior litem natura diremit,
Nam Cœlo Terras, et terris abſcidit vndas.

Quis tamen fuerit iſte Deus ille penetrare neſciuit, Quod talibus oſtendit.

Sic vbi diſpoſitam (quiſquis fuit ille Deorum)
Congeriem ſecuit, ſectamq; in mẽbra redegit.

Quòd ſi iſti Poetæ, quæ in hiſce carminib' natura ducente ſenſerũt ſemper pro firmo habuiſſent, in perpetuum defendiſſent, nec alios Deos credidiſſent eandem, quam nos ſequimur Doctrinam compræhenſa veritate tenuiſſent, ſed nil mirum ſi poetæ, qui ſolum rebus comentitiis inſudabant,

in eadem ſententia non permanſerunt.

Philoſophi uerò, quorum grauior eſt authoritas, certiuſq. iuditium, & qui veritatis inueſtigationi ſtudebant, ueritate coacti & ipſi vnum Deum confiteri compelluntur.

Thales mileſius, is qui in ſeptem ſapientum num.º cõmeruit cooptari, quiq. omnium primus rationales rerum cauſas traditur indagaſſe, aquam uoluit, ex qua cuncta ſunt nata, Deum autem eſſe mentem, qui ex aqua omnia formauerit, & ſic omnium rerum materiam in humore cõſtituit, principium uerò, cauſamq; naſcendi poſuit in Deo : Pithagoræ verò Deus anima comeans naturæ uniuerſæ fuſa videtur, Anaxagoras voluit Deum mentem eſſe infinitam, quæ per ſe ipſam moueatur, Antiſthenes etiam licet plures populares Deos poſuerit, vnicum tamen naturalem, nempe totius artificem excogitauit, Anaximenes autem, cui videtur adhærere Cleanthes, Deum ab unguibus pingere exorſus, aerem putauit, cui opinioni Poeta noſter hiſce carminibus aſſentit.

Tum

Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lετæ deſcendit, & omnes
Magnus alit, magno permiſtus corpore fœtus.

Chriſippus mūdum dominari putauit, nec non interdum diuinam neceſsitatem Deum nuncupauit: Zenon diuinam, naturalemq́. legem Deum conſtituit: Parmenides ad circuli ſimilitudinem Deum lima, & torno perpoliuit: Epicurus Deum athomorum nexu, quaſi harenatum coagmentatione conſtituit, quod ex Democriti pixide deprompſit: At in omni natura uaferrimus auctor Ariſt. cum ad Dei præhenſionem conſequendam claudicaret; conſcientiæ latibulo, dum non poteſt ingredi recto flexu, declinat, nihilo ſanè longius puſillis, & argutis oculis proſpiciens, quàm humani obtutus natura pateretur, ſed quamuis ſecum ipſe deſideat, & ſibi repugnania dicat, & ſentiat, tandē nihilominus unā nentem mundo præeſſe teſtatur: Plato ue-

rò

rò cui celſiora naturæ arcana intimius ſpeculari datum eſt, unicum primum Deum poſuit,ut in octauo de legibus, & pluribus in locis conſpici poteſt , à quo mundum hunc perfectum, atq. mirabilem fabricatũ eſſe credidit: Quem itidem Cicero in libro de legibus ſecutus eſt, atq. imitatus in plurimis,quippe qui Deum confitetur,& eum ſupremum appellat, ab eoq. mundum regi in lib. de natura Deorum, cum nil ſit ipſo præſtantius,argumẽtatur: Horum itaq. Philoſophorum omnium(quamvis ſit incerta ſententia) eò tamen tendit, ut cuncti vnam prouidentiam eſſe conſentiant, Nec appellationum diuerſitas obſtat, ſiue enim natura,ſiue æther,ſiuæ ratio, ſiue mens,ſiue fatalis neceſsitas, ſiue diuina lex , ſiue quid aliud dixeris,idem eſt quod à nobis dicitur Deus,cum ipſa ſignificatione ad unum omnià reuoluantur : Ex quo uidere licet ſummo ingenio uiros attigiſſe ueritatem, ac ipſam propè tenuiſſe, niſi eos retrorſum prauis opinionibus fucata rapuiſset conſuetudo,qua & Deos alios eſſe opinabantur, &

ea,

eá quæ in vſum hominis Deus fecit tanquã ſenſu prædita eſſent, pro Diis habenda, & colenda credebant.

Sufficiat ergo illis ignaris Philoſophis, atq́ Gentilibus Deorum pluralitatem colentibus tot,&tantis teſtibus, quibus & ipſi fidem adhibere coguntur; comprobatum fuiſſe, vnius Dei poteſtate, ac prouidentia, mundum gubernari, cuius uim, maieſtatemq́. tantam eſſe Plato teſtatur in Timæo, vt eam neq́. mente concipere, neq́. verbis enarrare, quiſq́. posſit ob nimiam eius, & inæſtimabilem poteſtatem.

Hunc Deum (ut ad Prophetarum autoritates deueniamus) unicum uiſibilium, & inuiſibilium opificem,& dominũ, Moiſes confeſſus eſt, nobiſq́. reuelauit, quum exodi.xx. ipſum dicentem induxit, Nõ ſint tibi Dii alii præter me, & iterum ibidem, Non facias tibi Idolum, neq́ alicuius ſimilitudinem, quod in Cœlo ſurſum,& in terra deorſum, & quod in aquis ſub terra, & per uocem Hierem x. dictum eſt, ſic dicetis illis, Dii qui Cœlum,& terram non fece

runt

runt, pereant de terra, & ſub Cœlo iſto; In ſuper & Deum præter me neſciàs, & ſaluãs non eſt præter me; Pſalit. autem & Diuinus Dauid Pſalm. 95. omnes Dii gentium dæmonia, Dominus autem Cœlos fecit, ſequẽtes igitur ea, quæ per Moſen prædicta, & per Phophetas annuntiata ſunt unum quidem natura, & verum Deum eſſe confitemur, cum hoc autem ſcimus, & abſq. dubio credimus quòd omnes Dii gentium Dæmonia: Erubeſcant ergo Gentiles, qui Demoniis inſeruiebant, & cum crederent eſſe ſapientes infatuati ſunt, & gloriam incorruptibilis Dei in hominis corruptibilis imaginis, & volatilium, quadrupedumq. ac reptilium ſimilitudinem mutauerunt, qui & creaturam ſuper creatorem coluerunt, elementiſq. huiuſmodi ſeruierunt, multos, & innumerabiles eſſe Deos ſuſpicantes; igitur ad ſubuertendum errorem, qui multos Deos tradit, unum Deum nominantes, ſacras ſcripturas modis omnibus imitamur, & ueritatis honeſtatem uniuerſis, qui in toto mundo ſunt indicamus, Hæc

&

& ſapientiſſ.us Moyſ. ſtatuens manifeſtè dicit Deut.6. Audi Iſrael Dominus Deus tuus Dominus vnus eſt: Hinc celeberrimi Patres optimæ fidei fundamentum iacientes ſentiendum, & aſſerendum quòd vnus, & ſolus ſit, & natura vereq; Deus, in unum Deum credendum eſſe, dixerunt, ſed nec Dei unitatem negare Gentiles audeant, quum etiam eo tempore Socrates Athenis eo quia plures conſtituere volebat, fuerit (ut Apuleius refert in libro de Deo Socratis) veneno necatus, Nec dicant plura bona paucioribus eſſe meliora, & exinde plures Deos ponere rectius eſſe credant, nam plura bona in rebus hiſce circumſcriptis, & limitatis meliora exiſtunt, de interminatis autem rationibus allatis iam in cap. initio hoc minimè cenſeri debet: Quibus uerò naturalibus medіis Deum eſſe unum posſit probari, uide Ricard. Bonau; & alios, nam de his hactenus.

V Deum

Deum eſſe Trinum.
Cap. XXIV.

QVAMVIS plures ex priſcis, illis Gentilib⁹ Deũ vnũ ẽẽ negarint, plures tamen ipſum vnum affirmarunt, vt ſatis ſuperq́. declarauimus; nunc quia ſacra fides ad altiora nos euehit, & nobis hunc unum Deum trinum conſtituit; ideo nunc de Trinitatis miſterio Sacratisſimo ſermonem progrediamur, de qua ingenti hominum certatione pugnatur, nam multi id ob eam negant cauſam, quòd minimè eſſe poſſe arbitrentur, Non nulli verò dum illud, quod posſit naturali ratione probari ratum habent, & falſum quod opinione ſuſpicatur, fœdisſimè in Dei natura labuntur, nilq́. illis credendum eſſe placet quod ſupragradientem naturam uideatur, & hinc etiam aliquorum ſtudia tar dantur, quòd id credere nolint quodminus

ſub

ſub eorum cognitionem cadat, hæc uerò errorum prauitas non niſi ex ingeniorum imbecillitate defluxit, ſi quidem cum ſenſuum anguſtiæ, ex quibus hominum agnitio eruitur, in externorum ſenſibilium genere uerſentur, ſatis notum eſſe debet his tanquam compedibus intelligentiæ curſũ retardari, diuinaq́. capeſcere nequire: At mihi quidem nullo modo conſentaneum uideri ſolet, quoniam multa interdum incredibilia uideantur, ea fieri poſſe negare, Nam eadem ratione nec credendum eſſet ab electro paleam, aut ferrum à magnete trahi, cum illi lapideo rigori nulla in eſſe rapiendi uis appareat, nec ferrum ductile ſuapte natura videatur, nec item cenſendũ eſſet ab Iaſpide defluentem ſiſti sãguinem, Quæ enim eſſe poteſt lapidi cum ſanguine cognatio,? Atq́. etiam quis credere deberet à ſtruthocamelo concoqui, & molliri ferrum, à Leone concoqui nequire? Cum multo ſit Leonis, quàm Struthocameli natura feruidior? nihilq́. facilius æſtimandum eſſet cyatum cinere fartum tantũdẽ

aquæ refertum quàm exhauſtum capere: eodemq́ modo nec putandum ab Echenæide piſciculo uolantia nauigia ſiſti: Quæ enim uis tantillo piſciculo ineſſe poteſt cõtra tantum impellentium remigum conatum, contra tam varios ruentium ventorum impetus, contra tantas procellas æſtuantis maris? quis putaret, quæ nec anchora iacta, nec funium, aut cathenarum nexu cõtinentur, vnius piſciculi adhæſu contineri? Quòd ſi hæc fieri uidemus naturæ progredientis uia, quorum nulli afferri ratio poteſt, num exiſtimandum eſt nobis quædam incredibiliora in Dei natura exiſtere, quæ nullo modo ſub hominis notionem cadant?

Trinitatem itaq. cum perſonarum vnitate nos piè, catholiceq. profitemur, ſunt enim tres perſonæ, & vnus eſt Deus, Perſona prima à nullo emanat, ſecunda eſt per generationem à ſola prima, tertia per ſpirationem à prima & à ſecunda procedit; Quare vna tantum perſona eſt improducta, nẽpe Pater, aliæ duæ uerò productæ .ſ. filius

& S.S. Vnica nanq. ſola ex his perſonis eſt à ſe, puta Pater, quia à nullo ente promanat, Duo uerò ſunt producendi principia, Intellectus, & uoluntas, & horum Intellectus, vt eſt in prima perſona, habet ſecundam perſonam ſibi terminum adæquatū productum, uoluntas uerò ut eſt in primis duabus perſonis, patre, & filio, ſibi terminū productum tertiam perſonam adæquant, quæ eſt S. Sanct. ex quo perſonarū Trinitatem elicimus, in qua Pater cum vnigenitū producit, nequit (ſicut nec ualet filius) aliū natum generare, & quum ſimul Pater, ac Filius Sāctum Spiritum emittunt, non poſſunt alium producere S. Sanctum, quin & ipſe Spiritus Sanctus, qui eſt tertia in Trinitate perſona alium Spiritum Sanctum ſpirare minimè ualet: Horum autem ratio: hæc eſt, intellectus, gignendi potentia eſt in prima perſona, & ſibi adequatè gaudet filio termino producto, quamobrem licet eadē potentia, & intelletus ſit etiam in filio, tamē & Pater, & Filius poſſe alium natum producere priuantur; Quoties enim potentia ali

qua

qua eſt in quoddā determinato ſuppoſito; ſi habeat terminum ſibi adæquatè productum, licet illa ſit in alio ſuppoſito, non tamen aliud producere poteſt; Quod uerò Filius ſit adæquatus terminus, ſi quis inaniter dubitaret, conſulat hic Ariſt. in poſt: primo quid ſit adæquatus terminus, quem id, quod neq. excedit, neq. exceditur, eſſe cognoſcet; à Theologis verò in perſonis diuinis æqualitatem affirmari, & exceſſum quęcunq. negari ediſcat, ex his nanq. cum filius neq. excedatur à Principe perſona patre, neq. ipſum ullo modo excedat, cum Pater no, & ſuo met intellectui adæquatum colliget eſſe terminum. Et idem de uoluntate, de S.Sanct., qui ab ipſa terminus accipitur adæquatus, eadem ratione dicendum eſſe facilè conſpicere ualemus, Cum S. Sanctus ſit terminus adæquatè per uoluntatē, ut eſt in patre, & in Filio productus.

Sed hoc unum etiam cenſeo dignum animaduerſione tenendum, ne quis ex hoc credat Filium a Patre produci per actum intelligendi, eo quia producitur per actum in

tellectus

tellectus, nam cum actus intellectus poſſit bipertito metiri, alter enim eſt actioni præpoſitus, qui actiuus, ſeu vt propriè dicunt, operatiuus nuncupatur, & eſt intelligere, alter uerò productioni inſeruit, qui productiuus appellatur, & huiuſmodi eſt dicere; Filius non per primum actum intellectus, ſed per ſecundum producitur, quia cum primus actus intellectus tribus omnibus perſonis communis exiſtat, qui per primum actum intellectus ponerent Filium generari, eum à tribus omnibus perſonis aſſererent poſſe produci, Quod quidem dicere fatuum, & hæreticum eſſet; Et idem de Sancto Spiritu dicendum exiſtimamus, quòd licet per volontatis actum ſpiretur, non tamen per actum uolendi, uel fruendi eſsētia diuina poteſt expirari, Quælibet .n.ꝑſona vvlt eſſentiā diuinā, & ea fruitur, quare ſi per hunc actum produceretur S. Sanctus, à trib9 omnib9 perſonis ſpirari potuiſſet, quod etiam falſisſimum eſt: inter productionem verò filii, & Spiritus Sancti hæc quoq. eſt differentia, Filius enim per modū

naturæ

naturæ,&nõ volũtatis à Patre producitur, Spiritus Sanctus autem per modum voluntatis,& naturæ a Patre, & à Filio ſimul ſpiratur,nam intellectus eſt naturalis,& non libera, voluntas autem ex oppoſito libera, non naturalis eſt potentia,Filius,qui per naturalem potentiam producitur à Patre, naturaliter producitur,ab eo, SpiritusSanctus, qui per liberam potentiam à Patre,& Filio ſpiratur,liberè ſpiratur ab ipſis : Ne tamen in hiſce limitibus aliquis deficiat, & ex inde opinetur Spiritum Sanctum produci nõ potuiſſe,cum ſit liberè productus, & libertas ad quodlibet ſit indeterminata:nam duplex eſt libertas, vna,quæ neceſsitati adhæret,altera,cui nulla eſt coniuncta neceſsitas, hæc terminis Theologicis contradictionis appellatur,illa verò complacentiæ nomen ſortitur,Spiritus Sanctus non eſt productus libertate contradictionis,quæ nullam neceſſitatem ſecum admittit,hac enim potuiſset non produci, ſed eſt libertate complacentiæ ſpiratus, qua quidem libertate Spiritus Sanctus non produci nequit.

Verum

Verum inter Theologos magno certamine diſceptari ſolet, an Spiritus vt amor, & uoluntas procedat, Diuus enim Thomas perſonam aliquam, quam Greci πρόσωπον vocant, amoris modo in Dei natura progredi arbitratur;

At acerrimus bellator Scotus, qui velut ferrum uſu ſplendeſcit, Spiritum tanquam amoris actum dimanare cenſet, affirmãs in his, quæ in rerum diuinarum notione verſantur, diuotum cætum ſequendum eſſe ducem, qui in omni methodice chriſtiana Spiritum amorem nominet.

Henricus autem ex his rebus aſſerit, quæ vſu experimur, nos debere ad naturæ diuinæ notionem permeare, quandoquidem in nobis tergeminæ diuinitatis Simulachrũ inſidere dicatur, ſed cum affirmet nos duplex amoris genus experiri, quorum unus blandisſimus ex rei obiectæ inuitamento oriatur, Alter ſit igneus, & exardeſcens, quo uoluntas ad rẽ obiectã impellatur, utrunq. analogica collatione in Deo eſse opinatur;

Nos uerò cum dicamus quippiam [illegible]

amoris diuinitatiſq. actu indiuinitate progredi, facilè ſequi uolumus, proſopon aliquam eſſe amoris, & uoluntatis progreſſione manantem, ſed cum perſpicuum ſit nullam quam Spiritus proſopon uideri, in promptu eſſe dicimus Spiritum amoris, uoluntatiſq. progreſſu dimanare.

Sed cauſa Scoto exoritur, cur nolit à parente, & filio Spiritum natura educi; cui ita eſt Gregorius Ariminenſis aſſenſus, ut nec eum liberè dimanare opinetur: At uerò cũ affirmamus filium intelligentiæ modo ut verbum, ac ſpiritum uoluntatis modo ut amorem progredi, neceſſe erit confiteri nobis amorem à uerbo dimanare: Idq. maximè rerum ordine probatur: ſi quidem nunquam cernere licet ab uno plura ſine ordine progredi, niſi in eorum genere, quæ inter ſe materia differant, ut figulus tornat ollas inter ſe materia diſtinctas, quæ inter ſe nullum certum ordinem nanciſcuntur: At in his generibus, in quibus nulla eſt materiæ diſtincta deſcriptio, ſemper dicimus ordinem reperiri, Quod ſi ab una parentis

perſona

perſona πρώτω duas dimanare affirmabimus, fatendum erit etiam à nobis in his ordinem quempiam uerſari, At cum nullũ his præter naturæ ordinem aſcribi poſſe uideamus, quo unus ab altero exiſtit, fieri nõ poſſe ſcimus, ut Filius, & Spiritus ita à parẽte progrediantur, ut eorum nemo ab altero procedat, niſi in his materiæ diſtincta deſcriptio ſtatuatur, quod fieri ullo modo in Dei natura nequit, Ex quo fas erit confiteri ſpiritum a Filio dimanare. Itaq. ob eam cauſam diuinitati proſopa aſcribimus. Inquirimuſq. primo an hæ inter ſe æquales eſſe dicantur, in quo non deſino eorum hæreticorum lætalem, ſtolidisſimamq. ſuperbiam illudere, qui opinionum prauitate Deum lacerarunt: Quod enim Dolium tam pertuſum, quàm Macedonius Epiſcopus inueniri poteſt cui Spiritus non uidetur Deus? aut quid Donato numida crasſius, qui Africam totam hoc tetro latice reſperſit, ut parente Filius, & Spiritus Filio minor uideretur? Nam quid de Eumonio moroſo ſophiſta dicam, à quo eſt diuinitati disſimili-

tudo adiecta? Quid Priſcillianum commemorem, qui ut bigener quendam mõſtrum conflaret Gnoſtica, & Manichea ueneua permiſcuit? Iam quid Arrhium nominem ardentem hæreticorum follem, qui in Diuinitate multitudinem, tanquam gradus minoris gentium adiunxit? Non ne ſatius fuiſſet nullum eis tributũ eſſe ingenium, quàm tanta cum luce datum? Quanquam intelligi poteſt eos cum nocere uellent, pro fuiſſe, prouiſumq. a Deo vt eorum adumbrantis præſtigiis veritatis lumen eluceret.

At quanto melius ex noſtris D. Thomas æqualitatem in Diuinitate ſtatui oportere putat, cum maius, & minus in Dei natura verſari poſſe negat?

Nobis verò ſi diuinitati æqualitatem adimendam eſſe placeret, confitendum etiã eſſet nullo modo οὐσία unam in tergemina Diuinitate exiſtere, nec πρόσωπα tres unum exiſtere Deum, Quod fieri nullo modo poteſt Ergo neceſſe uideri debet, vt æqualitas in diuinitate ſtatuatur

Sed quærendum in hoc loco uidetur, an

προόδῳ dimanans, principio ſuo ſit in æternitate par, Arrhius enim duodecim generã di genera inducit, Quæ aſſeclis ſuis omnibus ipſe præbuit ediſcendas, Ex quibus multitudo illa appendix uaria eſt monſtrorum genera adepta: At D. Thomas detrahendarum controuerſiarũ cauſa filium affirmat parẽti in æternitate eſſe parem, cum præclarè notum ſit filium à parente non uoluntate, ſed natura generari: Itaq́. parentis naturam ab æternitate abſolutam eſſe dicit, ac ut filium parenti, ita Spiritum utriq́. æternum eſſe parem: Sed cum parens is ſit, à quo alius dimanat, facilè intelligi poſſe putat, parentem principium debere dici: In quo affirmat à Grecis principii, & cauſæ nomen ἀδιαφόρως miſceri, rectiuſq́. noſtræ principii nomine uti, cum nomen quò latius uideatur, eo aptius diuinitati congruat; quare diuinæ naturæ nomina imponimus, quamnus eius abſolutio in rerum creatarum abſolutione ſplendeſcit, multaq́. etiã interdum methaphoricè inducimus: Vnde fatendum erit naturæ ordinem in diuinita-

te aſsignari, cum ſemper ordo ad quodpiā principium collatione referatur, ſed intelligendum eſt origine ordinem ſine antegreſſione ſtatui, qui D. Aug. auctore, naturæ ordo dicatur; facilè igitur ex dictis agnoſcere ualemus tergeminæ diuinitatis miſteriū non ita negari poſſe, ut quid fictitium eſſe uideatur, nec ſi quis illud mentis acie capere non potuit, ob id falſum cenſendum erit à nobis; Neq. enim ego fas eſſe puto, cū tam variæ inter ſe uoluntates, tāquam diſſidentes intelligēdi ſimilitudines ſint, quod cuiquā tanquā ratum inhæſerit, id ab eo debere pugnaciſsimè defēdi: Etenim id quod ſæpæ facilè in alterius ſenſum irrepit, ab altero percipi nullo modo poteſt; An cenſendum eſt ſolis, aut Lunæ naturam perinde in opilionis, ut in eruditi intelligentiam influere? & rurſum eandem æquè erudito, ac Philoſopho liquere? Num igitur quoniam multa à Philoſopho dicantur, quæ alterius intelligentiam fugiant, dicendum erit ea credi non debere? Ac denuo ſi qua interdum inducat, quæ ſupra naturæ complexum uideantur,

deantur,ob eam cauſam neganda putabimus, propterea quòd ratione indagari ne queant? An non uſu cernimus intelligentiam in veri iuditio pernoſcendo caligine effundi?An non videmus multa in lapidū, aquarum,vel hærbarum genere ignorari? Atqui haud tamen ſequi dicimus, ſi ea minus ſub aciem intelligentiæ cadant, quin ea eſſe dici debeant, cum nec ſequi videatur, ſi multa abdita naturæ minus percipi ab hominum genere poſſint, quin eſſe dicantur, Ex quo intelligi poteſt perabſurdū videri id falſum eſſe affirmari, quod quæri minus ratione poſſit.

Finis Primi Libri.

Franciſci

FRANCISCI CONTARENI

Thadæi Patritij Veneti Filij, *PHILOSOPHIÆ I.V. ET SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS.*

DE DEO, ET DE HIS, QVAE EFFLVXERVNT A DEO.

Liber Secundus.

Mundum eſſe creatum. Cap. Primum.

DE sũmo,& omnipotẽti Deo quoad ĩbecilles humani intellectꝰ vires paſsæ fuerũt ĩ ſuperioribꝰ diſſeruimꝰ, diſſeruimꝰ, inquam de Deo, qui eſt infinitus,& increatus,& ſolus aliorum

cunctorum Creator, nunc verò quadam (ſi ita dicere fas eſt) relatione creati ad creatorem exigente, de rebus creatis, de iis nempè, quæ effluxerunt ab opifice Deo ſermonis habeamus initium; & quoniam creatarum rerum fuit prima die creatus uniuerſus, nempè Cœlũ, & Terra, quæ ſimul hũc orbem conſtituunt, ideò de eius creatione loquamur: Ommittemus varias philoſophorum opiniones, nam inter illos multi ſenſerunt mundum natiuum, & tabeſcibilem eſſe, cum fide catholica in hoc concordantes; horum princeps fuit Anaxagoras, huius opinionis fuit etiam ſtoicorum cohors, hoc ſenſit Zeno, id voluit Chriſippus, hoc faſſus eſt Poſſidonius, id Cleanthes aſſeruit, id affirmauit Antipater, idem hac ratione ſimul cum his & Panetius probauit, cuius enim partes labefactibiles ſunt, & integritatem tabeſcibilem eſſe ſcimus, cũ autem mundi partes labefactari queant, quãdoquidem uiciſſim mutentur, fateri cogimur tabeſcibilem totum eſſe mundum: Sed hos omnes relinquentes Ariſtoteli mũ

dum

dum genitum fuiſſe neganti, interiturum eſſe nolenti, æternum eſſe ex profeſſo affirmāti, ipſum non ſolū creatū, ſed & corrum pturum fore, eius rationes de æternitate adducētes, & illis reſpōdēdo aduerſari falſas oſtendentes, intelligimus omnino probare.

Inter eas rationes, quibus mundi æternitatem nititur comprobare Ariſt., una hæc eſt; aſſerit primò motum ingenitum, & incorruptibilem eſſe, id rationibus roborando: Qua motus æternitate ſuppoſita uult iti dem nec tempus initium habuiſſe, finemuè fore habiturum, cum tempus comitetur motum, & ipſum neceſſariò ſequatur, cum neq. motus ſit niſi in tempore, nequè tempus niſi in motu apprehendatur, ſicut ipſemet in ſuis probauit edictis.

Secundo hanc mundi æternitatem ex æternitate materiæ primæ confirmat, quā ipſe probat (ut patet omnibus) ingenitam, & incorruptibilem eſſe.

Tertio mundum eſſe æternum ex cœli materia deducit, à qua contraria quæcunq; vvlt auferri, cum circularis motus, qualis eſt

cœli variationem, & oppoſitionem aliquā non admittat, quare cum in eo non ſint contraria, quæ ſunt cauſa corruptionis, ſimiliter nec in eo poteſt eſſe corruptio, & cū ita ſtatuerit Cœlo corruptionem competere nequire, proponit quædam ſua uniuerſalia principia, quæ ſunto, quicquid oritur, eſt interitui obnoxium, quicquid interitum pati poteſt, eſt ortum, & ex oppoſito quæcunq. ingenita ſunt non ſunt corruptioni ſubiecta, quæ uerò ſunt à labefactatione aliena, eadem ſunt à natiuitate remota; quare cum Cœlum, ut ipſe probauit, ſit ab interitu alienum, etiam ortu uacantem dixit eſſe cenſendum.

Nos uerò ab Ariſt. ſciſcitaremur, ſi mūdus æternus fuiſſe dicatur, num ſemper homines extitiſſe uelit, nam ſi ſemper fuiſſe neget, cōcedi oportere putam' id per abſurdū uideri, cum negari non poſſit hominum cauſa mundum eſſe conſtitutum, ſi autem homines ſemper fuiſſe confirmet, rurſum ab eo ſciſcitandum arbitraremur, cum ſit illorum hominum memoria deleta, aut cur

non

non ſint nobis per manus ſcientiarum genera tradita, quæ quidem ſuo ingenio profecta eſſe uideri cupit, dum omne ſuperiorum philoſophorum genus, ut hebetius exagitat, nam ſi memoriam rerum eluuione, aut exuſtione intercidiſſe dicat; per facilè erit ſecum obſignatis ſyngraphis agendũ, quandoquidem in metheoris catholicum fieri cataclyſimum neget; eodemq; modo erit de exuſtione dicendum, cum ſatis phyſicis placere uideamus, calorem humore ali, & quamquã uicisſim ſæpe alterum altero ſuperari opinentur, neutrum tamen ita apprimi poſſe volunt, vt vim in ſtauratitiã: Ex quo facile intellectu eſt exuſtionem catholicam eſſe non poſſe, Quòd ſi neutra catholica eſſe poteſt, perſpicuum etiam uideri debet memoriam rerum propagari potuiſſe, id ſi ita eſt, dubitationem non habet, quin ad nos quoq. dimanare potuiſſet; Quod ſi ad hanc ætatem propagari potuiſſe diceretur, nihil prorſus eſſet quod ei ſcientiarum primæ ferrẽtur, cum per abſurdum eſſet negare æternis annorum curriculis in nume-

numerabiles Ariſtoteles, & Platones non fuiſ ſe: Atq. etiam ſi mundus æternus omni ſpetierum genere abſolutus diceretur, cauſa non eſſet quia multa credibilia ſequerentur, nam & neceſſe eſſet confiteri non modo innumerabiles animas actu exiſtere, ſed etiam interminatas conuerſiones fuiſſe; ex quo perſpicuũ uideri poſſet tot ſolis, quot lunæ conuerſiones extitiſſe; Cum autem fatendum eſſet utrorumq. innumerabiles cõuerſiones fuiſſe; ſatis eſset argumenti partẽ toto omnino eſse æquatam, quo quidem nihil inſulſius dici poſset: Atq; etiam fateri licet æquè Leonem à Deo ex materia, ac ex nihilo gigni potuiſse, propterea quòd quandocunq. à Deo materia gigni potuiſſe dicatur, neceſse eſt etiam fateri ab eodem coagmentatũ educi potuiſse, alioqui materia ſine forma gigneretur; atqui cũ notum ſit haud ex materia Leonem à Deo æternũ potuiſſe gigni.

Præterea quãdocunq. æternum eſse potuit, id omnino æternum fuit; At nihil præter Parentem Deum æternum eſse potuiſse

conce-

concedendum eſt, Igitur nihil præter Deũ æternum eſse potuit.

Deinceps etiam quodcũq. eſt effectum ortu, diuturnitatis exordium nanciſcitur; ſed cum inter ſanos philoſophos conſtare uideamus Deum cauſam effectricem eſse mundi; facilè colligi poteſt originem rerũ, & mollitionem eſse nouam; nec minus etiã intelligi poteſt excellentium omnium Philoſophorum generi placere; nihil omnino auctori, & Parenti rerum Deo æquari poſse. At ſi mundus æternus fuiſſe diceretur, in promptu eſse deberet molitori mundi Deo æquari poſse: Quo quid dici poteſt inſcitius?

Poſtremò ſi æternus fuiſse diceretur, putandum eſset etiam æternum fuiſse rerum omnium ortum, Igitur fatendum quoq́. eſset vnum hominem ab alio in immenſum etiam generatum: Atqui cum ille ipſe Ariſt. in ſecũdo phyſ. parentem filii cauſam effectricem eſse uelit: perfacilè iuditium eſſet in effectricium cauſarum genere in immenſum excurrere indagationem poſſe,

Quod

Quod fieri nullo modo poſse cēſet: Ex quo quidē ſcire licet innumerabilia colligi poſſe,quibus probetur & generatum eſſe mūdum,& generatorē fuiſse Deum, quicquid ſuis rationibus in oppoſitum Ariſt. affirmare contendat.

Cum enim Philoſophus ex æternitate motus uult mundi innaſcibilitatem oſtendere,loquitur ipſe de motus natura , quod ortu,& corruptione uacat, quòd profectò uerū eſſe fatemur, ſed aſserimus nos quòd vbi motus eſt ens naturæ, non poſsumus ipſum generabilem,tabeſcibilemue generatione , & corruptione uniuerſali fore cenſere,ſicuti particularium motuum generatio,& corruptio,& idem eſt dicendum de omni eo,quod motus naturam conſequitur.

Quum uerò etiam materiæ primæ exēplo illud idem confirmare uidetur,eo quia ſine dicit,& ortu carere, tunc etiam fallitur omnino philoſophus,non enim materiam primam ex aliquo, uelut homo ex ſpermate,eſse factam,neq. in aliud,uelut homo in

pulucrem

puluerem, corrupturum fore profitemur, ſed Deum rerum omnium opificem eam ex nihilo ponimus produxiſſe, ex qua facta ſunt omnia, & in eam reſoluitur quicquid eſt genitum ex ipſa, nec eam inueniemus nudam à forma, uſq. ad quam generatio, & corruptio perueniunt; ipſa verò minimè generatur ſicut illa, quæ gignuntur ex ea, neq́. tabeſcit ſicut id, quod corrumpitur in ipſam, ſed eſt omnino creata, & non de aliquo, & cum ipſius creatori libuerit ipſam ſuo eſſe priuabit perfecta, & abſoluta priuatione.

Quum verò tandem vuult mundum eſſe innatum credi proculdubio debere, quia motus Cœli Sphericus id exigere uidetur, cum ſit interitui obnoxius, eo quia contrarietates non patitur, in hoc etiam non bene ſentit Philoſophus, fatemur enim circularem motum non habere initium poſt eſſe corporis Sphærici, quod eo motu mouetur, ſed una cum ipſo corpore ſphærico uolumus ipſum incepiſſe.

Z Mundum

Mundum creatum fuiſſe menſe ſeptembris. Cap. II.

PRINCIPES Sacræ paginæ doctores in hoc vno omni porſus hæſitatione remota de mundo conueniunt, quòd ipſum vniformiter aſſerunt eſſe creatum, quo verò tempore eius fuerit creationis initium non ſatis conſtare videtur.

Volunt enim aliqui ipſum menſe Martii fuiſſe creatum, eo quia cum mundus fuit genitus terra herbam germinabat, quod menſe illo Martii euenire uidemus.

Quod confirmant per illud Exodi cap. xii. vbi præcipitur; iſte menſis primus erit uobis in menſibus anni, quem Martium eſſe contendunt, quo tempore fit Paſcha Iudeorum de aximis.

Hinc ii mundi initium eo menſe fuiſſe aſſerentes, dicunt ſolem in primo gradu

arietis

arietis fuiſſe creatum, quod eſſet circa medium menſis Martii.

Nos uerò aliis rationibus adducti menſe ſeptembris dicimus mundum fuiſſe productum, quia in orbis creatione arborum maturi fructus fuerunt, quod quidem non fit niſi menſe ſeptembris, nec poſſunt id negare tenentes oppoſitum, uel ita reſpondere negando arbores in creatione mundi fructus habuiſſe maturos, ſed eis fructuum potentiam producendi fuiſſe tributam, nam ſi ab initio arbores maturis fructibus caruiſſent, quid comediſſet homo, & multa alia animalia uſq. ad fructus maturitatem? Quomodo dixiſſet Deus primis creatis hominibus, quod dabat illis arborum fructus in eſcam, ſi tunc fructus non extitiſſent?

Sed fortior nos cogit ratio, legimus in Deuteronomio xxxii. Dei opera eſſe perfecta, arbores uerò minimè poſſunt dici perfectæ niſi cum fructus maturos habēt, quare illas tunc eos habuiſſe dicendum, hoc uerò fit menſe Septembris, eo enim tempore arbores cunctæ fructus ferunt, quare eo

menſe mundum genitum fuiſſe aſſerere debemus.

Ad oppoſitas uerò rationes facilè reſpõdebitur, & ad primam, quæ mundi ortum menſe Martii fuiſſe concludere videtur, quia tunc herba germinabat, quod accidit eo menſe, dicimus herbam maiori anni tẽpore virere, licet in ueris initio ſit eius uirẽdi principinm, quod profectò menſe martii euenire fatemur, Verùm herba uiret etiã menſe ſeptembris: Ex quo non maior eſt ratio quòd mundus hoc menſe potiuſquã illo ſit genitus.

Ad illud verò quod confirmant per illud exodi, cap. xii. Iſté menſis primus erit uobis in menſibus anni, quem martium eſſe dicentes, in quo fit Paſcha Iudæorum, ſuæ opinioni aliquid attribuunt, Dicimus illud magis eorum opinionem euertere, nõſtramq. confirmare ſententiam, nam quũ dicitur exodi cap.xii. Iſte menſis primus erit vobis in menſibus anni, ex eo uidetur antea illum minimè extitiſſe primum, ſi enim fuiſſet, non erat cur eis hoc mandaretur:

Prius

Prius namq. Iudæi menſes obſeruabant iuxta creationis initium, quod illis cōſtabat ex fide à patribus in filios deriuata; Nunc uerò Iudæi obſeruant martium, ut primum in menſibus ob ſolemnitates in memoriā liberationis de AEgypto, in qua celebrauerunt Phaſe, quod eſt princeps inter cæteras ſolemnitates, & propterea illis fuit hunc mēſem martii ut primum ab ipſis honorari mandatum: Quoad alias computationes uerò ſemptembrem omnium primum mēſem eſſe uolunt, & ſic computat Scriptura Sacra, ut patet exodi, cap. xxiii. & exodi etiā xxxiiii. vbi legitur, & ſolemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta condun tur, hoc eſt in Septembri, tunc enim anni exitus eſt, & reddit alius annus, uel dicitur annus ad ſuum redire principium, Et ideo hoc menſe iure mundum uolumus incæpiſſe, quod cum ita ſit, falſum eſt etiā, quòd illi volunt, Solem in primo arietis gradu fuiſſe creatum, nos enim ipſum circa finē Virginis, uel in libræ initio fuiſſe genitum aſſerimus, hoc nanq. eſt circa Septembris

medium,

medium, quando arbores cunctæ fructus maturos habent.

De materia, & forma Mundi Cap. III.

NATVRALIA corpora vt exiſtant undequaq; perfecta, debent ex materia, & forma conſtare, quare cum mundus corpus ſit natura conſtans perfectisſimum, debet modo quodam præſtantiori hiſce præditus eſſe principijs, Hinc ita Vniuerſum materia, & forma conſtat, ut rectè de eo dixerit Philoſophus, ipſum ex uniuerſa materia conſtare: Quæ autem ſit iſta materia diligentius indagemus: Quinque in vniuerſo conſiderãtur materiæ gradus. ſ. materia prima, quæ analogia quadam eſt eadem Cœli, & mortalium, Quinq; ſimplicia corpora, Mixta conſimilium partium, membra, & viuẽtia: quia hæc omnia cum ſint mundi partes,

etiam eius materia poſſunt appellari: Si uerò propriam, & proximam eius materiam cognoſcere cupimus; cūncta ſenſilia corpora, tum grauia, tum leuia, tum neutra ipſius eſſe materiam, quatenus ex horum conſpiratione, propenſione, & ordine, conſurgit orbis, dicendum eſſe cenſemus. Si autem uniuerſi huius formam perquiramus, eam multiplicem eſſe reperiemus: nec alicui eiuſdem rei diuerſas formas aſſignari uideatur abſurdum, nam mihi ſanè diſtincta ratione decens imo probatur. Primo nanq. Deus eminenti quadam ratione mundi forma nuncupari poteſt, quatenus eſt eminentiſſimus actus, per quem cuncta ſunt, atq. ſeruantur: Secundo Cœlum mortali mundo comparatum, poteſt modo quodam mundi forma iudicari, vt optimè in primo Cœli cenſuit Commentator Auerroes: Tertio Spherica mundi figura, eſt quædam forma, non quidem eſſentialis, uel mūdo eſſe præbens, cum ſit accidens; ſed terminans, & circumſcribens extrinſecus, Quarto magis pro

prie

priè forma mundi, ordo conſpirantium ad eius conſtitutionem iudicari debet, hic eſt ordinatus ordo, Deus uerò ordo ordinans appellatur: Ex quo contemplari licet, tria de natura proferri, quæ ſibi inuicem pugnãtia eſſe uidentur, quæq́. tamen ſunt ſibi mutuo cõſentanea, uidelicet naturam esſe cauſam ordinis, naturam rerum ordinem exiſtere, & naturam ab alio dirigi, & ordinari, & hic quidem ordo tam in uniuerſali natura, quam in eius partibus inuenitur, quatenus ſunt ordinis capaces: De iſto uerò ordine rebus phyſicis competente, ipſum duplicem eſse, non eſt ignorandum, unus eſſẽtialis eſt, alter uerò ex accidenti, in hoc dari poteſt progreſſus in infinitum, in illo autẽ dari recta ratione minime poteſt; Hoc tamen mirum eſse uidetur, quòd quamuis eſſentialiter ordinatis haud competat in infinitum proceſſus, ſunt tamen cauſa ut ordinatis ex accidenti progreſſio in infinitum conueniat: Quare cum ordinem uuiuerſi formam appellamus, non quidem de ordi

ne

ne ex accidenti,ſed de ordine eſſentiali intel ligimus,quippequi in Deo conſideratur,ut cauſa in mũdi partibus ſecundum propriã formam,& pænes participationem in earũ operibus: Demum mundi forma etiã pro eius accipitur eſſentia,& hæc eſt forma illa totius,quam Ariſt: & Græci Interpræetes ap probarunt,quam malè cæteri nonnulli infi ciati ſunt : Hæc eſt forma includens quicquid eſt de eſſentia rei,ſiue in prima,ſiue in ſecunda ſignificatione accipiatur eſſentia, cuius materia ſunt ſignatæ partes, acciden tibus indiuiduantibus circunſcriptæ, à qua abſtrahunt ſcientiæ , & hanc reor innuiſse Philoſophum, cum in primo cœli aſſeruit, qui dicit Cœlum dicere formam,qui hoc cœlum formam cum materia iuncta ſigni ficare.

De Mundi Elementis.
Cap. IV.

LOCVTI de materia, & forma huius vniuerſi, ſequitur vt de corporeis elemētis ipſum vniuerſum conſtituentibus verba faciamus; quæ quidem & tria, & quinq́. affirmare ualemus; Tria quatenus cuncta in leuia, grauia, & neutra rediguntur, quinq. verò quatenus hæc in partem Aetheream, Ignē, Aerem, Aquam, & Terram diſtribuuntur; Hæc illa ſunto, quæ ſuo ordine mundum primò conſtituunt, atq́. formoſum reddūt, quorum principaliſſimum Cœlum exiſtit: Hinc Philoſophus ſub initio *3*. de Cœlo, cū de hac ætherea parte uerba feciſſet, ſe primò de elementis colligit fuiſſe loquutum. Quinq. uerò iſta ſimplicia corpora ex eo ſunt elementa, quia prima, & niſi eſſent prima, nec elementa forent; Dicimus autem

ea

ea prima non quidem abſolutè, ſed inter corpora, quatenus ex aliis prioribus corporibus non ſunt conſtituta : Hæc ſunt illa ſimplicia corpora, quæ (ut in ſuperiori cap. poſuimus) dum referuntur ad orbem ſunt locus, & tanquam inferiorum forma, quia ſeruant ordinem in Vniuerſo, & aſſequuntur per internam propēſionem, & motum ad illum : Quoniam verò iſta corpora per grauitatem, & leuitatem mouentur, ex eo Philoſophus in libris de Cœlo ipſa ut grauia, leuia, neutra conſiderauit, & per hæc eorum naturam, & formam circunſcripſit.

Sed nec ſine ordine corpora hæc elementa mundi eſſe diſpoſita credamus, nam per eminentem Dei prouidentiam ita diſtributa fuerunt, vt uiliora tamquã ex reſiderent, in centroq; locarentur, nobiliora verò ſibi ſublimiorem locum uindicarent, adeo ut iuxta eorum nobilitatem eſſent ordine diſpoſiti, ſic quòd locorum ordo dignitatis ordini reſponderet; Quare Cœlum cõſtans natura perfectisſimum, tanquàm præſtantisſimum omnibus ſupereminet, & ſic etiã

inter orbes Cœli præſtantiores aliis eminen tiores exiſtunt; Inter elementa verò, quæ sũt ſub Cœlo collocata, Ignis dignitate, & loco cæteris præfertur, cui ſuccedit aer, omniũ autem eſt terra uilisſima, & infima: ſed poſſet quiſpiam uereri centri locum minime cõuenire terræ ualere, cum ille locus ſit medius, tutisſimus, & præſtantisſimus, quare & præſtantisſimo corpori, non autem terræ ipſum congruere debere; Nos verò quãcunq. hæſitationem de medio tollentes dicimus, vnà cum Ariſtotele in 2. de Cœlo, duplex eſſe medium, alterum magnitudinis, quod non ſemper præſtantius exiſtit, alterum uerò uirtutis, & perfectionis, & huiuſmodi inter corpora eſt Cœlum; quod quia ut ab alio ſeruetur non eget, ſed aptũ eſt cætera dirigere, atq. ſeruare, ideo meritò ambit cuncta, & ſupereminet omnibus.

De formis

De Formis Elementorum. Cap V.

DE elementorum numero actum eſt ſuperius, nunc de eorundem formis diſcurramus; Elemẽtorum formas in mixto remanere ſcire debemus, & ſicut dicit Ariſtoteles 4. Cœli tex. com. 32. & 2. de generatione tex. com. 48. remanent in potentia, quod etiã eſt atteſtatus Auerroes in primo de generatione, tex. com xc. & Ariſtoteles etiam in primo de generatione animalium, cap. primo & 2. & metheororum 4. tex. com. 48. & 54. Quum autem conſideraret Philoſophus quòd elementa in mixto remanentia haud præbent ipſi mixto eſſe, nomen, & diffinitionem, ideo dixit illa eſſe in mixto in potentia, quia ab actu ſummuntur nomẽ, eſſe, & diffinitio, ut patet 2. phyſicorum: Et quia ulterius perſpexit Ariſtoteles, quòd di-

cendo

cendo elementa in potentia eſſe in mixto, poterat intelligi quòd ſolum elementi materia remaneret in mixto; Ea propter uoluit elementa remanere in mixro uirtualiter, ut aſſeruit in primo de generatione, & in initio ſecundi libri de partibus animalium. Ex elementis compoſitio conficitur, ſed rectius dicendum eſſe cenſerem, ipſam confici ex virtutibus elementorum, quod profectò materiæ minimè competit; Cui ſuccedens Auerroes, quia per elementi uirtutem poterat intelligi non elementi ſubſtantia, ſed aliud, ideo dixit hoc eſſe uirtuale formã exiſtere elementi, ſed tamen remiſsam, ut patet in octauo de hiſtoria animalium: ſed hoc unum perpendimus, quòd cum dicimus nos elementa eſſe in mixto in potentia, loquimur de potentia oppoſita actui integro, & in actu remiſſo, & ſic uolumus inter potentiam, & actum medium abſolutè minimè dari, nam ueluti in oximelle manent ſimplicia, ita & in mixto elementa manere dicuntur, ut habemus in phyſicorum *2*.com.*31*.quæ quidem elemẽta, licet remaneant

neant in mixto,non tamen ea integra remanere putamus ; Quemadmodum enim in hac ſyllabba,ſtat, vnus eſt ſonus,in quo quidem ſimplicium litterarum uirtutes non integrè, ſed fractè reperiri cognoſcimus ,S, namq́. &,T, integrum ſonum minimè ſeruant (veluti notum eſſe poteſt earum prolationem conſideranti) ſicuti voluit expreſsè Philoſophus in primo de generatione animalium,& in tex.cóm.ultimo ſeptimi Metaphyſices;ſic etiam elementa in mixto non integra, ſed rupta remanere dicuntur.

De eorundem grauitate, & leuitate. Cap.VI.

ISTAE autem elementorum ſunt formæ ſubſtantiales grauitas, & leuitas, Quod ex Auerroe in tertio Cœli, comento *17*. colligitur, qui ita inquit, Prima forma ſubſtantialis in materia exiſtit,quod de grauitate,&leuitate

uitate ab eo dictum fuiſſe intelligimus; grauitatem enim & leuitatem naturas appellauit in prologo 4. Cœli,& in comento primo eiuſdem quarti, inquiens, & ſic grauitas, & leuitas dicuntur naturæ; In eodem uerò 4.Cœli,comēto ſecundo hæc habet, Natura autem omnis ſubſtantia eſt; Ex quo elicimus omnino grauitatem, & leuitatem elementorum ſubſtātiales exiſtere formas, Nam ſi (vt inquit Auerr.) grauitas,& leuitas dicuntur naturæ, natura autem omnis eſt ſubſtantia,quis negare valebit grauitatē, & leuitatem formas ſubſtantiales non eſſe? Addamus etiā,quod ipſemet inquit Auerroes in primo Cœli,com 17,& ſecundo de anima,comento 108, quod & grauitas eſt natura,quæ eſt forma,ex quo procedit deſcenſus; Hucuſq. igitur clarisſimè patet grauitatem,&leuitatem eſſe formas, Quòd autem ſint ſubſtantiales, comprobatur per eundem 4.Cœli,comento 20, ubi graue, & leue ponit in prædicamento ſubſtantiæ. Verum quis non cenſebit falſa aſſerere Auerr. quum velit graue, & leue,eſſe de prædicamento

dicamento

dicamento ſubſtantiæ, quæ inter accidentia Ariſtoteles enumerauit in v. Metaphi tex. com. xviii. vbi quanti refert graue, & leue, ſunt enim qualitates naturales, ſed locantur ſub accidentibus qualitatis? Sed iis ibi ſeſe tuetur Auerroes dicendo, quia graue & leue in ratione, qua pondus, uel ponderis abſentiam dicunt quantitates appellantur, & formæ etiam ſubſtantiales qualitates naturales dicuntur. Nec grauitas contrariatur leuitati, niſi ſecundum motus ſurſum, & deorſum, & ſunt accidentia, & non inconuenit: Et licet grauitas, & leuitas contrarietates accidentales ſequantur, non tamen ſunt accidentia, quia certam ſubſtantiam ſequi origine accidentia eſt neceſſariũ teſte Ariſt. in ſecundo de generat. tex. com. vi. Et ſicut ſubſtantia per ſe non ſentitur, ſic nec grauitas, nec leuitas, iſta nanq; ſentiuntur per motum, vt videre licet in ſecundo de anima com. cviii. Et forma ſecundum ſenſum comprehendi minimè poteſt, ſed per ſuam actionem comprehenditur, vt vult comentator Auerroes in xii. meta-

ph. com. xiv. Et 3 Cœli, tex: com. xxvii. probat Philoſophus, quòd ſubſtantia grauis non ſtat ſine grauatione: Et ſi quis verba Ariſt. opponeret diſponentia graue, & leue in prædicamento relationis, reſpondendum eſſet idem ſibi poſſe diuerſorum prædicamentorum ſedem expoſcere ſecundum diuerſos reſpectus, nempe ſecundum quod graue petit centrum, & ſecundum quod tardius, vel velocius alteri comparatur; Hinc aliquando grauitas pro grauitatione, & leuitatione accipitur, vt teſtis eſt Auerr. in 4. Cœli, com. 29. Et ſic Philoſophus in libro de longitudine, & breuitate vitæ eas qualitates appellat; Graue verò, & leue qualitates volumus eſſe primas localiter motiuas, & propter motum localem eas primas appellamus, cum motus localis cæteris quibuſcunq; motibus localiter ſit prior, & in elementis præſertim, in quibus alios elementorum motus præcedit, eo quia ipſe motus tempore præcedit elementi ſubſtantiam, quum motus localis ſit in ſubiecto ente in eſſentiali potentia,

ſicut

ſicut aſcenſus eſt in eo, quod eſt ignis in potentia, quare conſtat graue, & leue eſſe qualitates motiuas ſimpliciter alteratiuis priores: Sed nobis videtur Princeps aduerſari Ariſtot. in ſecundo de partibus animalium, cap. primo grauitatem, & leuitatem qualitatibus primis eſſe poſteriora aſſirmans, & illi maxime aſſentitur Auerr. in vii. phyſic. com. xv. Nos verò ſic tueremur nos metipſos, dicendo formas elementorum ſubſtantiales bipertito conſiderari poſſe, primo quidem quatenus ſubſtantiæ ſunt, quas conſequuntur qualitates, & ſic ſunt formæ qualitatibus priores, ſed conſecutio qualitatum ad formas ſubſtantiales elementorũ non eſt in genere cauſæ effectiuæ, ſed ibi ordo eſt intelligendus in genere cauſæ formalis, materia enim prima naturaliter prius reſpicit formam ſubſtantialem, deinde verò formam accidentalem; Secundo poſſũt hæ formæ elementorum ſubſtantiales conſiderari quatenus elementa inſtrumentaliter ſunt ab accidentibus cauſata, & ſic elementorum formæ aliquo modo ſecũdum

quid ſunt poſteriores accidentibus, poſuit enim Ariſtot. hunc ordinem, materia, contrarietas, ignis. Dicimus etiam ſequentes Auerr. in ſecundo de generatione tex. com 45. Grauitatem, & leuitatem grauitationem, & leuitationem importare, quæ dicũt motus quoſdam ſurſum, vel deorſum, & hæc elementis ſuas proprias qualitates habentibus poſteriora eſſe dicuntur. Addimus etiam contrarietatem inter grauitationem, & leuitationem incidentem minimè primam eſſe contrarietatem, nam à prima contrarietate, poſteriores contrarietates fiunt, vt etiam vult Auerr. in tertio de generatione, text. com. viii. quia ab actiuis poſteriores contrarietates fiunt, non autem à paſſiuis, veluti ſunt grauitatio, & leuitatio.

De Cœlo

De Cœlo, & de eius materia. Cap. VII.

DE mundo iſto inferiori, deq; eius elementis hucuſq; breuiter locuti ſumus, nunc verò ad orbem ſuperiorem, ad Cœlum nempe exquirendum tranſeamus, cum mundus hic inferior à ſuperiori illo regatur, & primo eius materiam indagemus. Ex his qui de Cœli materia verba fecerunt, ſunt varii uaria locuti, Empedocles enim Cœlum ex quatuor Elementis conſtare putauit, Academici, ex elementorum eminentiis, & ſublimitatibus dixerunt, Heraclitus aſſeruit ex igne, Diogenes dixit ex aere, Heſiodus, & Phericides, chius ex terra voluerunt, Alii verò ex horũ nullo cõſtare, ſed eſſe naturam, & eſſentiã his eminentiorem aſſeruerunt, Nos uerò nec elementa, nec eorum eminentiæ, & ſublimitates, neq. ignem, neq. aerem, neq. terram

ram

ram, neq. naturam elementis eminentiorē Cœli materiam exiſtere putamus, ſed unà cum Thalete Mileſio Cœlum ex aqua tenemus eſſe creatū, quod quidem nos etiam ſacra Scriptura docet: Cœli nanq. ante diluuium antiquitus ſicuti in mundi procreatione patet apud Moyſem, ex aqua extiterunt, inquit enim ille Geneſcos primo, & 2. iusſiſſe Deum in medio aquæ firmamentum fieri, firmiorem nempe aquarum ſubſiſtentiam exiſtere; Idem atteſtatur in Petri epiſtola catholica ſecunda, cap. tertio, vbi hæc inquit ipſe; latet enim ipſos hoc uolentes, cœlos fuiſſe antiquitus; & terrā ex aqua, & per aquam conſtitiſſe Dei uerbo: perquæ qui tunc erat mundus aqua inūdatus periit, qui uerò nunc ſunt Cœli, & terra ipſius uerbo reconditi igni ſeruantur in diē iuditii, & perditionis impiorum hominum: Hæc omnia ſunt uerba D. Petri, ex quibus noſtrum comprobatur intentum: Ex quibus etiam elicimus terrā ſimili modo creatoris iuſſu emerſiſſe, cum prius obruta detineretur, & ſicut ex aquis Cœlum, & terra

conſtante

conſtante diluuium mundo inopinato ſuperuenit, ita etiam nunc repoſitum eſſe, ut per ignem uniuerſi pernicies efficiatur, quo cum impii quoq́. ſint perituri. Cum enim duo ſint elementa, quæ uniuerſi hāc machinam maximè continent, & cohærentem conſeruant, aqua, & ignis ex quibus reliqua duo etiam exiſtunt, nam aer ex aquarum exhalatione, terra ex earundem concretione conſtat, quæ utraq́. ideſt exhalationem, & concretionem ex aqua, exprimit uis ignis, quæ à creante Deo naturaliter inſita eſt ei. Quare cum duo hæc præcipua ſint elementa, & per aquam prius impiorum ſcelera fuerint deleta, neceſſe ut rurſus impiorum per ignem perditio fiat: Et de hoc quidem mundi interitu non Chriſtiani ſolum, uerum etiam Græcorum ſapientes, ut Heraclytus, & Empedocles AEtneus tradiderunt.

Sed dicet quiſpiam, Quænam eſt ratio cur mundus fuerit conditus, ſi rurſus interire debet? Cui ita reſpondendum eſt, mundum tunc non in perniciem prorſus interi

turum,ſed in renouationem abiturum,un de etiam, & Propheta inquit in pſalm.ciii, & renouabis faciem terræ: ſenſibilis enim creatura à principio à Deo conſtituta, bona erat, & poſtea hominis tranſgreſsione uanitati etiam ipſa fuit ſubiecta,ut non ſtabiliter amplius eſſet,ſed ferè fluxu, & refluxu in interitum abiret; diluuio effectum eſt, ut ad pietatem rurſus reductis hominibus per Noe, & ea,quæ conſeruata in arca fuerant animalia ad ſemen excitandum rurſus mundus quaſi inſtauraretur, ac nouũ quaſi exordium sũmeret; ſed cùm neq. tũc hominis natura admodum multum profeciſſet,ſed ad deteriora delapſa fuiſset,eam poſtea lex per Moyſem data à prauitate conata eſt auertere;poſtremò uerò Chriſti aduentus ad ſalutem deduxit, quæ niſi à paucis tamen admittitur: Quotus enim eſt eorum,qui ſalui fiunt, numerus præ eorum, qui in ſingulis ætatibus pereunt,multitudine? paucisſimus admodum;ut tempus cõſummationis prorogari propterea e iſtimẽ,ut illorum qui ſeruandi ſunt,numerus compleatur.

compleatur. Quoniam igitur ſicut multiplex ad ſalutem vocatio fuit,ita varia quoq. ex inobedientia perditio eſt ſubſequuta, fit ut ignis diluuium ſit neceſſarium,quo mũdus totus,etiam ſi non omnino interiturus ſit,consũmatur,nõ enim animæ interibũt, ſed neq. corpora,quippe cum oporteat, vt omnes non cum animabus corpore deſtitutis,ſed unà cum corporibus, quæ etiam ipſa immortalia ſint effecta, ante tribunal Dei omnipentis,trini, & vnius aſſiſtamus, vt inquit Apoſtolus ad Romanos,xiv. Quo pacto enim ſola anima pœnas eorum reciperet,quæ per corpus perpetrauit? Quin neq. iuſti eſſe iudicis videtur, vt cum duo ſimul eadem in re peccarint, alterum illœſum dimittat,alterum totius criminis ſupplicio afficiendum ducat. Præterea ſi nos materias conflare per ignem conſueuimus, non vt pœnitus eas deſtruamus, nè ſint,ſed vt purgatiures eas ac ſinceriores reddamus; credendum non eſt,Deum cum per ignem conſummationem promiſerit, vel id non facturum,vel ſi faciat,in perniciem, & inte-

ritum mundi id eſſe facturum: Nam ſi perdentur,& conſummentur aliqua, quæ ea erunt? Superuacua hæc,& præſenti vitæ accommodata,cuiuſmodi ſunt iumenta, herbæ, plantæ: Iumenta ſi quidem vitæ huic corruptibili hominum miniſterium exhibent, Herbæ verò iumentis, & pecudibus victum ſuppeditant; vt rectè in Pſalmo ciii qui efficit,inquit,vt gramen oriatur iumentis,& herba ad ſeruitutem hominum, Plãtæ autem,&ſtirpes aliæ materiam, & ligna ad tabernacula,& domos extruendas, aliæ fructus ad alimentum hominibus producunt. Alimentum, & nutritio corruptionis argumentum eſt; Defectus enim, & repletio quid aliud promittere, quàm corruptionem poſſunt? Hæc igitur, quæ uana ſunt, & ſuperuacua ad uitam incorruptibilem, corrumpentur,&perdentur,noui verò Cœli,& noua terra ſubſtituetur, quæ tamẽ materia diuerſa nõ erunt,quippe cum neq. qui nouam domum extruit,eam ex nulla ſubiecta materia faciat: Sic Deus cum ſemel materiam à principio produxerit,&formarit,

marit, omne id quod ad uſum quidem vitæ huius neceſſarium, ſed ad alteram tamē incorruptibilem inutile, ac ſuperuacuum eſt, tollet, ac perdet: Quicquid verò ad eam conducet, id incorruptibili, & admirabili pulchritudine reformatum ad ſecundum, & incorruptibilem mundum ornandum relinquet: Cum autem Petrus in ea epiſtola terram ex aqua, & per aquam conſtitiſſe, ex aqua, tanquam ex materiali cauſa, per aquam, tanquam per finalem conſtitutam eſſe ipſam ſignificat, aqua enim eſt, quæ quaſi gluten quoddam terram continet, atq́. vt cohæreat, facit; alioqui niſi ea eſſet, in puluerem euaneſceret, ac fatiſceret, & diſſoluta in aerem difflaretur.

Sed fortaſſe inſurget quiſpiam contra nos, & nugaci quæſtione quid, inquiet, Deus cum mundum hunc viſibilem conſtitueret, non à principio ſtabilem eum, & immutabilem, ſed mutationibus obnoxiū fecit, ut poſtea, & tempore Noe per diluuiū, & in conſummatione per ignem, ut dicit Petrus, fuerit ad incorruptibilitatem reſtitu

endus? Huic occurrendum hoc modo dicimus, ut aſſeramus non potuiſſe fieri, vt immutabilitate eſſet præditus, qui ex mutatione conſtiterat, quippe cum ad id productus fuerit, ut eſſet ex eo quod non erat, id quod alterationem, & mutationem eſſe negaret nemo, qui compos mentis exiſtat: Vnde cum alteratio peioribus commixta in deterius euaſiſſet, neceſſariò huius opifex, ut in melius reſtituat, & tempore Noe per expurgationem, per aquam intulit, & in conſummatione per ignem eſt illaturus, quemadmodum etiam nos materias ſicut dictum eſt, non ut deſtruamus, ſed ut purgemus, conflare conſueuimus.

Concludimus antem (ut eò reuertamur, unde digresſi ſumus) Cœli materiam aquã exiſtere nam & Cœli ſuperiora, & inferiora ſunt aqua circundata, nam ſi de ſuperioribus perquiramus, præclarus ille Dauid reſpondebit pſallendo, Qui obtegis aquis ſuperiora eius, ſi uerò inferiora, nempè terrarum ſundamenta conquiramus, eundem pſallentem huiuſmodi audiemus, Quoniã

ſuper

ſuper maria fundauit eam; Et hæc de Cœlorum materia ſufficiant.

De natura Cœli Cap. VIII.

COELI autem natura ea eſt, vt ſit ab omnibus corpus purum appellatum, natura ſimplicisſimum, eſſentia ſubtilisſimum, incorruptibilitate ſolidisſimum, quantitate maximum, qualitate lucidum diaphaneitate perſpicuum, materia purisſimum, figura Sphæricum, ſitu locali ſupremum amplitudine creaturarum aliarum in ſe contentium; Quæ quidem omnia hoc modo dicta & cœlo, & primo mobili æquè conueniunt. De primo autem Cœlo, de Cœlo nempe Empyreo, dicimus quòd eſt à motu extraneum, beatorum ſpirituum habitaculum, quod ſpiritualiter Dei ſedes nuncupatur. In quo quidem Cœlo varia ſunt cæleſtia corpora, nonnulla enim ſunt ſplendētia, nonnulla diaphana, aliqua uerò quæ

minimè

minimè relucent;Corpus lucens eſt ſol cuncta irradians, hinc etiam meritò ſic nuncupatus,eo quia ſolus inter cætera ſydera refulget; Corpora verò non lucentia ſunt cæteræ ſtellæ,& planetæ,quæ lumen mutuãt à Sole; Diaphana autem corpora cunctas eſſe Shæras cæleſtes eſt perſpicuum, & has Sphæras cæleſtes licet moueantur, non tamen ob illum motum locum mutare credamus,ſi quidem in proprio loco mouentur. Superiora autem corpora motus, uegetationis,ſenſus,ac productionis in inferiora influunt uirtutem;nec ob id credendum ea elementaribus qualitatibus eſſe prædita, non enim ſunt calida,uel frigida, ſicca uel humida , licet iſta cauſent in inferioribus, ſed his exactis de huius ſupremo cœli motu nonnulla uerba faciamus.

De Cœli motu. Cap. IX.

COELVM moueri, & innato moueri amore nemo eſt qui inficias ire posſit, De' ſi quidem omnipotens il lud mouet ut amatum, & deſideratum, hinc Cœlum animæ fruēdæ cupidum ideo currit, ut per omnes ſui partes vbiq́ tota anima perfruatur, Cietur autem rapidisſimè, ut quoad fieri poteſt totum ſit ſimul ubiq́., ubicunq́. tota ſimul eſt anima, ut imaginem ſui Dei Creatoris pro uiribus imitari auidè ſtudeat: Hīc tot errantium ſtellarum ſpheræ curſus, & recurſus emanarunt, inter quos ſanè planetas lumine, uiribus, & nobilitate Solem cæteris præeminentem conſpicimus, Cæteri nanq́. ad eum, tanquam ad ſuum Regem, unde vires, lumen, influxum mutuari poſſint, certis, ſtatiſq́. diebus propius accedere anhelant, ut ſextili, quadrata, trigona, oppoſita, uel coniuncta radiatione in hæc infe-

riora

riora uires,ac ſupremam potentiam ſuam exercere ualeant, Lunam in primo ſuprà terram circuitu poſitam conſpicimus,In ſecundo Mercurium,in tertio Venerem,&ſupra eos Solem, Præterea Martem, Iouem, ac Saturnum diuerſis orbibus affixos, & motu proprio Solem haud ſecus ac Regẽ eorum uenerari,& adorare ambientes perpetuò cieri intuemur,ut non ab re ambigendum ſit, luceat nè Cœlum, ſplendeant nè inerrantes ſtellæ proprio lumine, an uerò potius præclariſſimo iubare, uel luce Solis. Tempus uerò unà cum Cœlo factum eſſe,& unà orta, unà etiam diſſolui, ſi qua eis diſſolutio unquam contigerit Plato in Timæo profitetur, menſem præterea à Luna,Venere,& Mercurio, annum à Sole, & lõgiora ſpatia temporum à Ioue, Marte,ac Saturno,diem à Sole,noctem à Luna efflue re,Horas inſuper alii ut filias temporis minimas natu, benè ueſtitas, aſpectuq́ pulchras,non quidem auro exornatas, ſed florum coronis diſtribuere, eas autem & bona,& mala cuncta, atq́ alia curare,quæ ad

animantes,

animantes, & inferiora omnia pertinent, hæc apponētes, illa auferrentes opportunè. Quod ſanè diuinum Cœli opus non niſi à ſummo eius, & rerum omnium omnipotenti opifice potuit emanare, id verò ſummopere mirandum uidetur quo nam pacto æternitas, & corruptio haud ſecus ac perfectum, ac imperfectum in hoc uniuerſo fuerint coniuncta, nam ſi idem operatur ſemper idem, & ab uno ut unum non profluit niſi unum, qui quæſo fieri potuit, ut ab uno, ut ab æterno rerum omnium principio potuerint hæc inferiora omnia caduca, & mortalia gigni, an non rectè Plato Deum ipſum Angelos uocantem adducit, ſuadentemq́. ut animantia inferiora imperfecta eius diuinam uim imitantes generare ſtudeant, dum in hæc uerba altè, & dignè profatur? Dii Deorum quorum opifex ego, & Pater ſum, hæc attendite; Quæ à me facta ſunt, me ita uolente indiſſolubilia ſunt, omne ſiquidem quod uinctum eſt, ſolui poteſt, ſed mali eſt, quod pulchrè compoſitum eſt, ſeq́. habet benè, uelle diſſoluere.

Quapropter quia generati eſtis immortales quidem, & indiſſolubiles omnino non eſtis, Nec tamen unquã diſſoluemini, nec mortis fatum ſubibitis, Quamobrem accedite uos ſecundum naturam ad animaliũ generationem, ita ut uim imitemini meã, qua in ortu ueſtro ſum uſus, Ego uobis ſemen, & initia tradam, uos cætera exequi par eſt, ut immortali naturæ mortalem attexentes, faciatis, generetiſq́; animalia, ſubminiſtranteſq́; alimenta augeatis, & conſumpta rurſum recipiatis. Hæc fatus in eodem rurſus cratere, in quo mundi totius animam permiſcens temperauerat, ſuperioris temperationis reliquias miſcendo perfudit, modo quodam eodem, non tamen perfectas ſimiliter, ſed & ſecundo, & tertio gradu à primis deficientes.

De

De Intelligentiis, quod ſint conformis Philoſophorum, & Theologorum ſententia Cap. X.

HVCVSQ. de Cœlo locuti ſumus, nunc uerò de Intelligētiis, quæ in ipſo ab opifice omnipotenti Deo creata fuerunt ſermonis habeamus initium. Angelos, ſeu Intelligentias eſſe probant primo hoc naturali medio Philoſophi: Orbes cœleſtes cōtinuo mouentur, ac perpetuo motu regulariſſimè, Quamobrem neceſſe eſt eſſe motorem intellectum regularisſimè mouentem: Hæc autem erit Intelligentia, Secundo, Ad uniuerſi perfectionem requiritur ut omnis creaturarum gradus reperiatur, & cum adinueniatur ſpiritus corpori unitus, ut in homine, & corpus à ſpiritu ſeparatū,

ut in lapide, oporret etiam reperiri ſpiritum ſeparatum à corpore, qui quidem erit Angelus, Nam ſi corpus, quod eſt minus perfectum inuenitur ſine ſpiritu, multo magis Spiritus erit ſine corpore, ſicut eſt Intelligẽtia.

Præterea inquit Ariſtoteles in lib. de cauſis eſſe quandam ſubſtantiam cuius ſubſtãtia eſt in æternitate, & actio in tẽpore, quæ præter intelligentiam alia eſſe non poteſt.

Item, ſi orbis cœli mouetur, (uti mouetur) vel hoc à mouente, qui eſt ſubſtantia, uel à mouente, qui non eſt ſubſtantia, Nõ à mouente, qui non ex ſubſtãtia, quia motum, uel id quod mouetur eſt ſubſtantia ergo & mouens, viii Phyſ. *Tex. LXXXIII* & quia etiam ſubſtantiã non præcedit non ſubſtantia pri. phyſ. *Com. LIII.* ergo orbis Cœli mouetur à mouente, qui eſt ſubſtantia, ſed ſi mouens eſt ſubſtantia; aut eſt materia, uel forma, aut eſt compoſitum, Non materia, uel forma, quia. ii. de generat. *Tex. Com. LIII.* materiæ eſt pati, aut moueri, alterius autem potentiæ eſt mouere, & viii.

phyſ.

phyſ. *Com. IV.* & metaph. *Com. XIII.* impoſibile eſt aliquod ens generari à modo, quod eſt in potentia ens tantum, uidelicet à materia prima ſecundum quod poteſt intelligi nuda à forma: Hinc inducit etiam Ariſt. primo Metaph. antiquos à ueritate coactos ad ponendum principium unde motus, quia materia non ſe ipſam tranſmutat, ut uult Auerr. ibidem *Com. XI.* & in deſtr. *Diſputat. I.* & in iii. de anima, *Tex. Com. LIV.* & iii phyſ. *Tex. Com. XVII.* & ſecundo de anima *Tex. Com. LIV.* Si autem mouens Cœlum eſſet compoſitum ex materia, & forma, uel hoc compoſitum eſſet animal cæleſte, uel aliud corpus; Non aliud corpus, quia Cœlum non poteſt moueri à contento, Quatuor enim elementa mouentur à Cœlis, non Cœli ab elementis, ut habet Auerr. in deſtr. deſtruc, *Diſputat XVIII. dub. 2.* Neq. Cœlum poteſt moueri ab alio corpore ſecum coexiſtente, neq. ab exteriori, ſiue Cœlum continente, ſiue non: Non enim cõtenta circulariter mouere poſſunt ut habetur primo Cœli Cœli, *Tex.*

viii. neq. ſi moueret, poſſet mouere ita uelociter, neq. æterne, Nec datur corporũ penetratio per Philoſophũ iv. phyſ. *tex. LIII* neq. datur corpus extra Coelum, ut patet in v. metaph. *Com. XXXI.* ergo mouens Cœlum non poteſt eſſe aliud corpus præter animal coeleſte; Si autem animal Coeleſte mouet Coelum, tunc mouet ratione formæ, quæ abſtracta eſt, neq. æterno tempore mouet, Ariſtoteles xii. Metaph. *Tex. cõ. xxix. & xxx. & xli.* Quia ſi materialis, & moueret æterno tempore uirtus infinita eſſet, & inde motus oritetur in inſtanti, ut ipſemet inquit Auerr. in tertio cap. de ſubſtãtia orb. & primo Coeli *Com. LXV.* & in ulti. viii. Phyſ. Quod etiam ex eo patet, quia virtutes Cœli non ſunt diuiſibiles ad diuiſionem ſubiecti, Auerr. in lib. de ſubſt. orb. *Cap. 2.* uirtutes uerò materiales ad diuiſionem ſubiecti diuiduntur, ut etiam inquit Auerr. ibidem, *Cap. 3.* & Ariſt. viii. Phyſ. *Tex. com. xxvij.* & xii. metaph. *Tex. com. xli.* & Auerr. in deſtruct. deſtr. *Diſputat iii. dub. xviij*, omne corpus habens uirtutẽ

diuiſibi-

diuiſibilem diuiſione ſubiecti eſt generabile,& corruptibile, Quapropter dixit Philoſophus vi. metaph. *Tex.com.3.* & ii. Metaph. *com.xvi.* & Auerr. primo Phyſ. *com. ult.* ſi non eſſent entia ſeparata philoſophia eſſet prima Philoſophia,& Ariſ.xii. metaph. tex. com. *49.* unum primum eſſe probat, quia caret materia,eſt eius medium, unde ſolum naturalis philoſophus demonſtrare habet ſubſtantiam abſtractam eſſe, quia motu hæc indagata ſunt, ut ponit Auerr. primo phyſ. com ult & *2.* phyſ. com. *22.* & *26.* & Ariſt. viii. Phyſ. *Tex.com.14.* metaphyſicus uerò ſeparatum conſiderans, inuentionem ſupponit,& ſic colligimus ordine doctrinæ naturalem philoſophiam eſſe metaphyſica priorem, ut etiam dixit Ariſt. in vi. metaph. *Contex. 3.& 7.* & in eodem libro *Com. 39.* affirmauit Auerr. Neq́ ob id Phyſico ſubalternatur Metaphyſicus, Quia ſubalternãs dicit propter quid illius, de quo ſcientia ſubalternata dicit quia: Illã autem Auicennæ rationem, quam recitat Auerr. in deſtruct. deſtr: *Diſputat 8. dubio 1.*

ſoluit

ſoluit ipſemet Auerr. in lib. de ſubſt. orb. cap. *3* Nam ſuper multas inſtabiles propoſitiones ipſa fundatur.

Sed redeuntes ad eſse intelligentiarum, probatur itidem intelligentiam non poſse non eſse, accipiendo poſsibile prout dicitur ſecundum aliquam potentiam, quia Id quod producitur ex neceſsitate naturæ à ſua cauſa non impedibili non poteſt non eſse ſecundum aliquam potentiam, ſed intelligentiæ producuntur ex neceſsitate naturæ à cauſa prima, quia prima cauſa eſt efficiens omnium intelligentiarum, ut habetur xii. metaph. quæ cauſa prima non eſt impedibilis, cum non poſsit impediri neq; à ſe, neq; ab alio, Quod probatur, nõ enim à ſe, quia agit ex neceſsitate naturæ ut ibidẽ ſecundum Philoſophum maniſeſtè apparet, Non ab alio, tum quia eſt infiniti uigoris, & per conſequens omnibus impedientibus reſiſtit ea ſuperando, tum quia non habet cauſam ſupra ſe, ergo intelligentiæ nõ poſsunt profectò non eſse.

His accedit, quod ſi intelligentiæ poſ-

ſent,

ſent,non eſse, aut hoc eſset per potentiam intrinſecam,aut per extrinſecam, Non per intrinſecam , quia cauſa intrinſeca tendentiæ ad non eſſe eſt materia ſubiecta priuationi,Intelligentiis autem nulla eſt materia: Non per extrinſecam, quia talis cauſa potens facere ea non eſſe, aut eſſet cauſa prima,aut aliqua alia inferior,ſed neutrum iſtorum poteſt dari, ut patet ex precedenti ratione, ergo intelligentiæ non poſſunt non eſſe, Dantur itaq. Intelligentiæ ſecundum Philoſophorum omnium ſententiam.

Quod etiam Theologi ſupponunt, & ſi quis id ſibi ratione comprobari uellet, eam in medium afferrem, quam tulit Thomas de Vio CaietanusCardinalis prima parte ſummæ. D.Thomæ q:l.art. i.ubi de mēte Doct. Angelici talem ponit concluſionem, Neceſſe eſt ponere aliquam creaturam incorpoream , quam aſſertionem ſic probat , neceſſe eſt uniuerſum eſſe perfectum,ergo perfectè ſimile Deo,ergo ſimile Deo ſecundum intellectiuam naturam, ergo neceſſe eſt ponere aliquam Creaturam

incorpoream, Patet Antecedens, Primam ſic probat conſequentiam, quia perfectio uniuerſi conſiſtit in aſſimilatione ad Deũ, ex eo quia huiuſmodi aſſimilatio eſt præcipuè intenta in rebus ipſis à Deo creatis, ſecundam conſequentiam etiam ſic deducit, quia Deus agit ſecundum intellectum, & uoluntatem, Tertia uerò conſequentia ex inde elicitur, quod intellectus nullius corporis eſt actus, omne enim corpus determinatur ad hic, & nunc.

Sed præter hanc Caietani adductam rationem, eſt de fide eſſe quaſdam ſubſtantias intellectuales, quas Angelos nominamus, ſunt enim innumeri Sacræ Scripturæ loci, ubi expreſsè iſta concluſio habetur, vide cõcordantias maiores Bibliæ in uerbo Angelus, & uerbo Angelum, & uerbo Angeli, & de Raphaele Angelo ait Iob. cap. 5. & xii. & pſalm. 8. minuiſti eum paulominus ab Angelis, qui locus intelligitur de homine Chriſto, Quemadmodũ D. Paulus ad Hæbreos primo illum inrerprætatur de humanitate Chriſti Ieſu, & in nouo teſtamento

paſſim,

paſſim, ut Lucas primo, apparuit Angelus Zacariæ, & Miſſus eſt Angelus ad Mariam Virginem, &c., Hinc remanet ſadducæorum Hæreſis confutata, qui (ut Alexander ait) dixerunt non eſſe Angelos, Hoc idem legitur in actibus apoſtolorum cap. 23. ubi hæc habentur, Sadducæi enim non eſſe reſurrectionem dicunt, neq. Angelum, neq. ſpiritum, quorum praua profectò opinio, ex dictis ſatis reiecta uidetur. Angelos itaq non ſolum eſſe, ſed etiam tantam eorum aſſerunt multitudinem Sacræ paginæ profeſſores, ut non ſolum dicant de Chriſto Ieſu & millia millium miniſtrabant ei, uerum etiam ad uniuſcuiuſq hominis cuſtodiam duos Angelos, alterũ nempè bonum, alterum uerò malum eſſe deſignatos aſſerant; Hinc dixit D. Ioann. Chryſoſtomus ſuper caput Matthæi quartum, in Homelia v. propè finem, quòd quandiu circa nos eſt Angelus bonus nunquam nos in tẽtationem poteſt impellere Angelus malus, ſecundum diſpenſationem autem Dei recedit aliquantulum Angelus bonus, magis

autem non recedit, ſed abſcondit ſe, ante diabolum ſe inuiſibilē reddens, quoniam niſi uoluerit Angelus bonus à Diabolo nō uidetur, ſubtrahit ergo ſe, ut det diabolo licentiam tentandi, et ſtans expectat tentationis euentum, Hæc ibi Chryſoſtomus Angelum itaq́. bonum ad noſtram cuſtodiam habemus, quod etiam ex eo aperte uideri poteſt, nam cum Herodes Petrum in diebus azymorum comprehendiſſet, vt habetur in lib. act. Apoſtolorum, illum in cuſtodiam poſuit, & poſt Paſca eum ad populū producere uolebat, uerum nocte illa, qua ipſum Herodes erat producturus, Angelus aſtitit ei, & lux in domicilio effulſit, & Petri latere percuſſo ipſum excitauit, ut celeriter ſurgeret, & diuina uirtute è manibus eius catenæ deciderunt, ac cum omnes cuſtodias, & portam etiam ferream deuenientem ad urbem ſponte apertam pertranſiſſet, ab An gelo relictus, & in ſe reuerſus adiuit domū Mariæ Matris Ioannis, qui Marcus cognominabatur, cumq́. pulſaſſet fores, acceſſit puella ad reſpondendum, quæ Petri agnita

uoce præ gaudio ianuam non aperuit, ſed intro recurrens, Petrum ante oſtium annũciauit aſtare,& cum illi dixiſſent ad ipſam, inſanis,ipſa ſic ſe rem habere confirmauit, Ipſi uero dicebant,Angelus eſt eius. Ex quibus uerbis planum fit unumquemq́. noſtrumAngelum habere,Illi nanq́. hoc ex occaſione exiſtimabant,inquit Matth.18.cap. ubi ſunt cõgregati aliqui in nomine meo, illic ego in medio illorum ſum,ubi uerò eſt Chryſtus,Angeli quoq́ ſint,& omnes poteſtates neceſſe eſt.Nec ſolum ex Theologis, ſed ex Philoſophis etiam ſingulis hominibus Angelum unum bonum, alterum uerò malum ad cuſtodiam diuinitus eſſe tributum habemus. Plato enim ſcribere non dubitauit hoc modo, Quoniã(inquit) omnes animæ ſorte uiuendi modum elegere, ordine ad ſortem ſuam progrediuntur motæ à dæmone,quem ſingulæ ſortitæ ſunt, qui ad hanc uitam cuſtodiendam,nec non ad ea quæ ipſæ elegerunt perficienda, unà mittitur cum eis:Id ipſum cenſeo Socratem etiam ſignificaſſe, cum dæmone quodam

ſæpius

ſæpius,atq́. ſæpius gubernari ſe dixerit; De iſtis uerò Angelis, qui ad noſtram cuſtodiã deputantur, alibi ipſos eſſe non poſſe cenſeo,& firmiter aſſero: Nam ut inquit Aquilanus Angelus de facto in diuerſis locis nequit eſſe ſimul, quia Damaſcenus lib. 2. cap. 3. dicit quòd cum Angeli ſint in Cœlo pro tunc non ſunt in terra, & cum à Deo mittuntur ad terram, non remanent in Cœlo: Huius ratio,ſecundum D. Bonau. in 2. ſent. diſt. 2. part. 2. eſt quia Angelus habet eſſe indiuiduale,ergo habet hic, & nunc; & quia habet eſſe limitatum etiam in natura, & iſta limitatio,& indiuiduatio inſeparabiliter ineſt Angelo,ideo eſt in loco uno tantum diffinitiuè ſimul, & ſemel, & non in pluribus, quia quod eſt in pluribus ſimul ad nullum locum eſt diffinitiuum, Nam ſi Angelus in diuerſis locis ſimul eſſet, non eſſet cur de Cœlo deſcendendo mitteretur, & adueniret in terram,&tamen legitur eos miſſos eſſe in ueteri, & nouo teſtamento, ergo patet propoſitum. Non poteſt itaq́. unus Angelus ſimul eſſe in pluribus locis

propter

propter rationes allatas,& quia (ut diximus teſte. D. Bonau.) habet eſſe indiuiduale, Quomodo autem ſit indiuiduum, non parua eſt controuerſia, uerum ego breuiter, & reſolutiuè dicam illud idem, quod aſſeruit Illuſtriſſ. Conſtantius Sarnanus, qui hodie maximè floret, vir profecto perfectisſimus, & omnibus maximarum artium diſciplinis politisſimus, quibus tantum Religionis decus, & reliquarum omnium laudum uniuerſæ Italiæ ſumma cũ admiratione attribuit, & cum in eo præſtantisſima doctrina cum ſingulari ſanctitate contendat, utri palma ſit deferenda non facilè diiudicari posſit, quarum virtutum amore incenſus Sixtus V. Fel. Recor. Pont. Opt. Max. uirum clarisſimum in ſummorum Cardinaliũ collegiũ cooptauit; Inquit ipſe in ſuo Directorio Theologico ad mentem Doct. ſubtilis, quòd Angelus eſt indiuiduum non ratione Materiæ primæ, quia eſt immaterialis, non per quantitatem, quia eſt indimenſionalis, erit ergo ratio indiuiduationis una entitas realis poſitiua determinans naturam Ange-

lorum

lorum ad eſſe hoc, quæ non erit niſi quidã gradus indiuidualis, qui alio uocabulo uocatur indiuidualis differentia, quæ abditiſſima eſt Porph. tangens hanc indiuidualẽ differentiam inquit, quòd ſunt quædam proprietates naturales, quæ ſic uno competunt, quòd non alteri.

De Improductione Intelligentiarum Philoſophorum opinio. Cap. XI.

IN ſuperiori cap ex uniformi Philoſophorum, & Theologorum ſententia intelligentias dari probauimus, quærimus modo nunquid Intelligentiæ (de mediis intelligẽgentiis nempè loquendo de prima enim non dubitamus) ſint improductæ: Reſpondent Philoſophi medias intelligentias utiq. eſſe improductas, ad quod multis rationibus adducuntur.

Prima.

Prima hæc eſt, omnis ſubſtantia incorruptibilis eſt ingenita, ut patet primo Cœli, tex. com. *129*. ſed omnis Intelligentia eſt ſubſtantia incorruptibilis, ergo omnis Intelligentia eſt ingenita.

Secunda ratio, omnis ſubſtantia æterna eſt ingenita, omnis Intelligentia eſt ſubſtantia æterna, ergo omnis Intelligentia eſt ingenita: maior probatur per Auerr. in primo Cœli tex. com. *125*. dicentem æternum, & ingenitum conuerti, ergo ſi Intelligentiæ ſunt æternæ, ſunt etiam ingenitæ.

Tertia ratio, ſi Intelligētia produceretur, non poſſet produci niſi crearetur, hanc autem creationem negat Philoſophus ea de ratione motus, quia Deo in creando nil ſubiicitur, omni uerò agenti ſubiicitur materia, ergo Deus non creat ipſas Intelligentias, ergo neq́ producit.

Quarta ratio, omnis generatio, & omnis factio generaliter eſt motus, uel mutatio *3* Phyſ. tex. com. *6*. & *5*. Phyſ. tex com. *7*. ſed omnis motus finitus tempore finito menſuratur, & omnis mutatio inſtanti, ſi

ergo ſubſtantia æterna eſt genita;vel erit genita in tempore; uel in inſtanti,ſi in tempore,cum non ſit,ſed facta eſt, ergo fieri præceſſit factum eſſe,& ſic non erit æterna; ſi in iſtanti,ergo ſimiliter nõ erit æterna, quia nullum inſtans fuit ab æterno, imò quodcunq; inſtans præceſſit tempus.

Quinta ratio, vbi non eſt generatio in tempore, ibi non eſt productio ſubſtantiæ, vt aſſerit Auerr. *3*. de Anima com. v. & *2*. ſed Intelligentiis non eſt generatio in tempore, ergo neq; productio.

Sexto,omne agens extrahit id quod eſt in potentia ad actum, ſed in Intelligentiis non eſt potentia extrahibilis ad actum(intelligendo de potentia diſtante ab actu & de actu informatiuo earum, aut potentiali ex quo, & alio fiat vna intelligentia) ergo in eis non eſt agens: Ratio iſta eſt Auerr.xii. metaph. com. *44*.

Septima ratio, omne agens eſt principiũ vnde motus,ſecuudo phyſ. text. com. xxix. ſed ſiue agens, fuerit rationale, ſiue voluntarium oportet præfuiſſe cauſam, quare

tunc

tunc produxit,& nunc non, Auerr. viii. Phyſic. com. 4. ſed ſi Intelligentiæ eſſent productæ, non eſſet huiuſmodi cauſam aſſignare de earum productione, ergo Intelligentias minimè productas eſſe dicendum.

Octaua ratio, ſi Intelligentiæ eſſent productæ crearentur ex nihilo, ſed hoc eſt contra Ariſtot. 1. phyſ. text. com. 33. & 34. Auerr. xii. metaph. com. xv. & viii. phyſ. com. 4. primo Cœli com. 149. & 1. de generatione text. com. x. & xi. ergo non eſt dicendum.

Nona,& poſtrema ratio, quicquid incipit eſſe ſecundum Philoſophum deſinit etiam eſſe,ergo ſi Intelligentiæ incæpiſſent eſſe, deſinerent etiam eſſe. Auerr. 3. Cœli com. 1. conſequens eſt falſum, ergo & Antecedens. Peſpicuum eſt ergo medias Intelligentias his omnibus de cauſis eſſe improductas.

De eiſdem quod ſint productę Chriſtianorum profeſſio. Cap. XII.

QVONIAM cũcta ab vno primo principio, vt eſt in tribus perſonis vnũ, ſunt cauſata, ideo Intelligẽtias quoq́ vel Angelos (Theologicè loquendo) ab eo primo principio, quod eſt principium ſine principio, & omnium tã uiſibilium, quàm inuiſibilium creaturarũ principium eſſe creatos diuinæ Theologiæ lumina aſſerunt cõtra Phyloſophorũ dogmata, & primo Sacræ Scripturæ auctoritatibus, Poſtmodum rationibus innituntur.

Eſt ſi quidem primo auctoritas prophetæ Pſalmo. c iii. qui facis Angelos tuos Spiritus.

Et Origenis ſecundo in homilia prima ſuper geneſim, & facta eſt lux i. natura Angelica.

Eſt

Eſt tertio auctoritas D. Aug. primo, & viii. lib. ſuper Geneſim ad literam.

Eſt & quarto eiuſdem Auguſtini in xi. lib. de Ciuit, Dei Angeli non ſunt prætermiſſi in illa rerum creatione;

Eſt demum in prouerb. 8. Dominus poſsedit me ab initio uiarum ſuarum, antequàm quicquam faceret à principio.

Quibus auctoritatibus ſic iactis pro fundamento, iam iam ad rationes accedamus.

Prima itaq. hæc eſt ratio, Quicquid eſt perfectionis ſimpliciter eſt Deo attribuendum, ſed eſſe primum principium effectiuum, omnium dicit perfectionem ſimpliciter, ergo Deo eſt attribuendũ, ſed quò nobilior eſt effectus productus, eo principio effectiuo ſimplicior perfectio attribuitur; ergo Deo Angelorum productio ſicut nobilioris effectus, & eſt ſimplicioris perfectionis attribuenda. Secundo Philoſophus 2. metaph. tex. c. 4. inquit quòd id, quod eſt ens ſimpliciter, & verum ſimpliciter eſt cauſa omnis entis, & veri, ſed Deus eſt ſimpliciter ens, & verum, cum ſit ipſa veritas, &

uia,

via, & Angeli quoq; ſunt entia, ergo ſunt à Deo, tanquàm à ſua cauſa producti. Nam omne quod eſt per participationem, cauſaliter dependet ab eo, quod eſt per eſſentiam.

Tertio, inquit D. Bernardus in Angelis eſt dignitas creationis, gratia confirmationis, amor creationis, viſio diuinitatis, ergo Angeli ſunt creati, ſecus nec creationis dignitas, nec creationis amor eſſet in illis.

Quarto, Angeli ſunt creati ante omnem creaturam, ergo producti: Antecedens probatur per Iſidorum dicentem, Angeli ſunt ſpirituales facti, ante omnem creaturam creati, naturà mutabiles conditi, ſed contemplatione immutabiles facti, animo impasſibiles, mente rationales, fœlicitate ſecuri, futurorum preſcii, iusſi mundum regũt, misſi corpora aerea aſſumũt, in cœleſtibus commorantur.

Quintò, diſtantiam inter eſſe, & non eſſe; quæ eſt Infinita, poteſt Deus tranſire, ergo & Angelos creare.

Sexto, inquit Auicenna in nono metaph.

ph. vnam Intelligentiam alterius eſſe crea tiuam, ibi enim non eſſe natura præcedit eſſe, ſed media, ſeu ſecunda Intelligentia nõ poteſt eſſe creatiua primæ, ergo prima eſt creatiua ſecundæ.

Septimo dicitur in libr. de Eccleſiaſticis dogmatibus, quem nonnulli ita, in ſcriptũ B. quoq́ Auguſtino adſcriptum, cuiuſdam Gennadii, vel Genandii eſſe contendunt, vt etiam inquit Doctor irrefragabilis Alexan der de Aleſ in ſecunda part. q. xix membr. i. Cum adhuc tenebræ ipſam aquã occultarent facti ſunt Angeli, & omnes cæleſtes uirtutes, ergo patet Angelos eſſe creatos;

Octauo, omne habens finem habet efficiens, ſed ſecunda intelligentia habet finẽ, ergo habet efficiens, ergo producta. Maior patet, quia finis eſt cuius gratia aliquid fit, tum quia in abſtractis idem eſt finis, & efficiens: Minor probatur, ſecunda enim Intelligentia habet finem operationi præſuppoſitum.

Nono, & ultimo, ſecunda Intelligentia eſſentialiter dependet à prima, ergo ſecunda

da

da eſt cauſata à prima:conſequentia ex eo deducitur, quia non eſt aliud eſſentialiter dependere quàm cauſari: Sunt ergo Angeli creati, ſed quando fuerint creati diuerſæ ſunt opiniones ; tamen illis dimiſſis, dico unà cum Iſidoro primo ut dixi ſuperius in hoc eodem cap. Angeli ante omnem creaturam ſunt creati. Dico ſecundo cum Beda,& Doctoribus, iſta quatuor ſimul duratione fuiſſe creata .s. Angelica natura, Cœlum Empyreum, tempus,& materiam cõfuſam quatuor elementorum, nec horũm unum alterum præceſſit temporis duratione, licet Angelica dicatur creata prius his omnibus dignitate naturæ, Dico tertio unà cum Magiſtro lib. 2. diſt. 2. & D. Thoma ibidem, quòd Angelica natura non quidẽ tempore, ſed dignitate dicitur producta ante omnia corporalia, nam dicitur Eccleſiaſtes primo; Primo omnium creata eſt ſapientia, nempe Angelica natura, quæ in ſcriptura ſacra ſæpe lux, uita, & ſapientia nominatur. Hinc reiiciturſaracenorum error dicentium, (ut recitat Hermanus in hiſto-

ria) malos Angelos per ſeptem millia annorum ante bonos fuiſſe conditos, bonos uerò etiam per mille annos āte cætera fuiſſe creatos, quæ quidem fatuitas omnino eſt abollenda.

Solutiones Theologorum ad argumenta Philoſophorum. Cap. XIII.

PRO ſolutione argumentorum, quæ à Phyloſophis in contrarium adducuntur, hæc prælibanda pro fundamento notamus, Agens duplex eſt, aliud Phyſicum, aliud Metaphiſicum; Agens Phyſicum extrahit de potentia ad actum, ſed non agens metaphyſicū, agens Phyſicum eſt dependēs ab alios, agens uerò metaphyſicum à nullo pendēs, Agens Phyſicum agit per motum, & mutationem, Agēs uerò metaphyſicum, per ſimplicem emanationem, Agens Phyſicum eſt agens naturale, agens metaphyſicum eſt ſupernа-

pernaturale, diuinum,& omnino liberū.

Ad obiecta itaque reſpōdētes, dicimus ad primum, quod erat ſubſtantiam incorruptibilem eſſe ingenitam, quòd propoſitio iſta Auerr. à Theologo pœnitus eſſet neganda, eam tamen admittens poteſt ſic Theologus gloſſare, incorruptibile à ſe eſt ingenitum, ſed incorruptibile ab alio eſt genitum, ſicuti ſunt Angeli, Deus enim, qui eſt à ſe incorruptibilis, eſt ingenitus, Angeli uerò, quia habent eſſe incorruptibile à Deo, non ingeniti, non enim à ſe.

Ad ſecundū, quod erat; ſubſtātia æterna eſt ingenita, concedit hoc etiā Theologus, ſed quādo dicitur, Intelligētia & ſubſtantia æterna, reſpōdemus aliud eſſe æternū, aliud eſſe æuiternum, ſeu perpetuum, nam æternum propriè dicitur illud, quod caret principio,& fine, & ſic ſolus Deus, cuius eſſe eſt interminatū, uerè dicitur æternus, quia ſibi ſoli conuenit æternitas, perpetuum uerò, uel æuiternum propriè dicitur id, quod habet principium, ſed caret fine, ut ſunt Angelus,& anima rationalis, omnis itaq;

ſubſtantia

ſubſtantia æterna eſt ingenita,ſed non omnis ſubſtantia æuiterna,ſeu perpetua, Angeli igitur sũt æuiterni, ſunt perpetui,nõ ſunt æterni,& ideo geniti, atq́. producti.

Ad tertium,quod erat, ſi Intelligentiæ eſſent productæ,ergo creatæ, concedimus hanc conſequentiam,&in hoc ſumus cum Philoſopho,ſed quando talem negat creationem nos ab ipſo diſcordamus, & eundem Phyloſophum negamus, nam Angelos creatos eſſe tenemus,& licet creatione æterna ab æterno non ſint creati, tamen à Deo creatione noua creati fuerunt.

Ad quartum,quando dicitur, omnis generatio,uel factio eſt motus, uel mutatio, Reſpondemus uerum eſſe in agente phyſico,non in agente metaphiſico, nam Deus poteſt producere de nouo effectus ſine ſui mutatione,&licet ſit mutatio ex parte creaturæ, non tamen datur ex parte Creatoris, eſt enim immutabilis, & quando dicitur, iſta ſubſtantia æterna nempè Angeli, uel ſunt geniti in tempore,uel in inſtanti, Reſpondemus Angelos non eſſe genitos in

tempore, quia ſimul unà cum Cœlo empyreo, cum tempore, & cum materia prima fuerunt creati, nec prius tempore, nec poſterius: ſed ſi aliquo modo prius, fuit ſolum dignitate naturæ: ſunt ergo geniti in inſtanti, & cum dicitur, nullum inſtans fuit ab æterno, uerum eſt de inſtanti temporis, ibi enim tunc temporis non datur, ſed in inſtanti æternitatis.

Ad Quintum, quòd eſt, ubi non eſt generatio in tempore, non eſt productio ſubſtantiæ, Reſpondetur uerum eſſe de agente Phyſico, qui agit per motum, & mutationem, non autem de agente ſupra naturali, qui agit per ſimplicem emanationem, & ſine tempore, cuiuſmodi eſt Deus.

Ad Sextum, quando dicebatur, omne agens extrahit id, quod eſt in potentia ad actum, reſpõdetur ſimiliter uerum eſſe de agente dependente, non de independente, uerum eſſe de agente per motum, & mutationem, non de agẽte per ſimplicem emanationem.

Ad ſeptimum, quod erat, omne egens

eſt

eſt principium unde motus, reſpondemus etiam uerum eſſe de agente per motum; & quando ſubiungitur, ſed agens ſiue fuerit naturale, ſiue uoluntarium, oportet præ fuiſſe cauſam, quare tunc produxit, & nũc non, Dicimus quòd hoc uerum eſſet, ſi ibi fuiſſet tunc temporis, ſed Angeli ſunt producti non in tempore (ut dictum eſt) ſed in inſtanti æternitatis.

Ad Octauum concedimus, & tenemus, Angelos ex nihilo fuiſſe conditos, ſi autem id eſſe poſſe negat Ariſtoteles, nos quoq. in hoc Ariſtotelem negamus.

Ad nonum, quòd erat, Quidquid incipit eſſe, deſinit etiam eſſe; Reſpondetur uerum eſſe de genitis per motum, & mutationem, & de genitis ex præiacenti materia, non de genitis per ſimplicem emanationem, & ex nihilo creatis, ſicuti ſunt Angeli, & ſic explicit quæſtio de productione Intelligentiarũ; ſed tenentes tamen cum D. Aug ſuper Geneſim de tempore creationis Angelorum, quòd nempe cum Cœlo ſint creati, notamus D. Hyeronimum ſuper Epiſtolam ad

Tit:oppoſitum affirmare, tenet enim Angelos per multa ſæcula ante mundum uiſibilem extitiſſe, & Deo ſeruiſſe, quod & Ambros: tenet in Hexameron, ſed tamen Magiſter in d. 2. diſtinctione lib. 2. inquit D. Hyeroni:ibi non fuiſſe locutum ex propria ſententia, ſed aliorum opiniones retuliſſe.

De Intellectione Intelligentiarum Philoſophorum, & Theologorũ conformis ſententia. C. xiij.

LOQVENTES de Intelligentiis non ab re fore exiſtimamus, ſi de earum intellectione nõ per modũ quæſtionis, ſed breuiter, & reſolutè nonnulla dicemus.

Sunt cõcordes Philoſophi in hoc cũ Theologis, quòd Intelligentia inferior intelligat ſuperiorem per eſſentiam ſuperioris, Quod

ex eo comprobant, quia in abſtractis intellectus, & intellectum, ſunt idem, ut uult Auerr. 3. de anima Com. xiv. & xv.

Secundo quia Intelligentiæ abſtractæ per ſe inuicem perficiuntur, & ideo una eſt alterius forma, & non niſi quia una eſt alterius ſcientia, uel amor, Hinc Auerr. xii. metaph. com. xliiii. dixit perfectionem uniuſcuiuſq. mouentium unumquenq́ orbium per primum omnium motorem perfici, non tamen perfici effectiuè, neq. materialiter, uerum finali perfectione coincidēte cū forma.

Tertio quia neceſſariò in quacunq́. Intelligentia aliud intelligente eſt aliquid ſimile formæ, & aliquid ſimile materiæ, ſecus in formis abſtractis non eſſet multitudo, ut patet 3. de anima com. v. Poſita. n. multitudine una eſt alteri potentialis, ut ſecunda reſpectu primæ, ſed non reſpectu tertiæ, Quia uerò ſecunda eſt ſimilis materiæ, ideo recipiens, & quia prima ſimilis eſt formæ, ideo recepta: Ex quo in intelligentiis eſt compoſitio, & non alia, quæ ex intelli-

gente,

gente, &intellecto, deſiderante, & deſiderato.

Et quòd in Intelligentiis ſit compoſitio patet xii. metaph: cõ. 51. quod eſt minoris compoſitionis eſt nobilius in illo genere, donec deueniatur ad vnum ſimplex. Hinc Auerr. in deſtr. deſtruct. diſput. v. dub. 3. ab abſtractis quatuor aufert compoſitiones, quarum prima eſt ex partibus quantitatiuis, altera ex eſſe, & eſſentia, tertia ex accidentibus, & ſubſtantia, quarta, & poſtrema ex genere, & differentia, & xii. metaph. com. xliiii. tantum illic eſt cauſa & cauſatum, ſecundum quod intellectum eſt cauſa intelligentis, non tamen intellectum eſt cauſa intelligentis effectiua, neq; materialis, neq; finalis tantum, ſed formalis, & finalis ſimul, vel formalis tantum propter intellecta ſpeculatiua, quapropter nullum eſt inconueniens vnum ſecundum quod à pluribus intelligitur plurium eſſe cauſam, ſed perfectius ſecundum quod à perfectioribus intelligitur; imperfectius verò ſecundum quod ab imperfectioribus, vnde ex

Auerr. tertio de Anima, com. v. patet, primæ formæ eſſentiam eius eſſe quiditatē, ſed aliæ formæ diuerſantur in eſſentia, & quiditate quoquomodo, loquitur Auerr. de eſſentia, ſicut etiam fecerat in 2. de Anima com. 147. in fine; Pomum eſt indiuiſibile ſubiecto, & diuiſibile ſecundum eſsētiam diuerſam in eo, ſecundum quod habet colorē, odorem, ſaporem, licet in multis ſit differentia; Hinc conſpicuè uidetur Intelligentiarū compoſitio, quæ cum aliis eſt, & earum ſimplicitas, non enim compoſitio ex aliis, quia huiuſmodi eſt noua compoſitio, ſiuè ſit ſubſtantialis, ſiuè accidentialis, ut uult Auer. xii. Metaph. com. 39 Quamobrem in 3. de Anima com. 9. dixit res abſtractas non compoſitas, ſed ſimplices eſse; Ideo cum prima Intelligentia perficit ſecundam eſt actus ipſius accidentaliter, licet ipſa ſit ſubſtantia, ueluti lapis eſt ſubſtantia, & tamen eſt accidentaliter in ueſica ſenſibiliter hominis lædens operationes; unde neceſſariò eſt aliqua Intelligentia intenſius & remisſius formalis notitia di-

uerſis potentiis; Nulla, enim Intelligentia eſt adeò intensè formalis notitia de ſe ipſa inferiori Intelligentiæ, ſicut etiam ſibi intẽſa intellectio, quia ſecus inferior Intelligentia æquè intensè ſuum finem intelligeret, & amaret, ſicut etiam ſuperior Intelligentia intelligit, & amat; & ſic ſuperior Intelligentia non excederet inferiorem in beatitudine, & fælicitate formaliter, non enim eſſet magis beata, & fælix formaliter quàm inferior Intelligentia, Cuius oppoſitum habetur in xii. Metaph. tex. com. xxxix. uoluptas, quæ eſt maior, eſt illius, quod eſt maioris intellectus, & quia etiam ſecunda Intelligentia eſt intelligens, prima uerò Intelligẽtia eſt intellecta; propterea quòd Intelligẽs, Intellectus, & Intellectum ſint idem omnimodè, ſoli intellectui agenti competit, ut patet. *3* de Anima, com. xix. & ſi uniuerſaliter intelligatur quòd in abſtractis intelligẽs, & intellectum ſint idem omnibus modis, exponitur ly. omnibus modis, ideſt conuertibiliter; In abſtractis enim omne intelligẽs eſt intellectum, & è contra teſte Auerr. in

iii.

iii. de Anima com. xvi. quam expoſitionem etiam ponit idem Auerr. xii. Metaph. com. xxxix. nam declarando quòd intellectus,& intellectum fiunt idem, dixit recipiens & receptum de intellecto, vtrūq; eſt intellectus,ſed in rebus materialibus sũt idem omnibus modis intellectus,& intellectum, vt videre eſt in 3. de Anima com. 36. namq; intellectio idem eſt quod obiectum, verum intelligens, & intellectum ſunt idem per vnionem formalem in rebus materialibus, in intellectis per ſe, non tamen in intellectis per accidens.

Quod etiam patet ex ſanctorum Patrũ, & ſacrorum Theologorum aſſertis: Inquit enim Apoſt. ad corinth.xiii. videmus nunc per ſpeculum,& in enigmate, tunc autem facie ad faciem, & pſal. xvi. ſatiabor cum apparuerit gloria tua; & Ioan. primo cap. iii. videbimus eum ſicuti eſt; ſed erudiamus quod inquit Dyonis: in quarto de diuinis nominibus, Angelus, ait, eſt ſpeculũ purum, clariſſimum, ſuſcipiens totam, (ſi fas eſt dicere) pulchritudinem Dei, & D.

Thom. 2. ſent. diſt. prima quæſt. prima art iii. inquit, quòd Angeli in principio ſuæ creationis non poterant proficere, non quia mæreri non poſſint, ſed quia per ſuam virtutem in gloriam non poterant transferri, niſi ampliori lumine infuſo, & in eadem quæſt. & lib. art. i. inquit beatitudinem vniuſcuiuſq; conſiſtere in quantum Dei cō templationem attingit ſecundum modum ſuæ perfectionis & ideò diuerſimode inuenitur in Deo, in Angelo, & in homine con ſideratis ſecundum eorum naturalia; Ipſe enim Deus ſeipſum per ſuam videt eſſentiam, & nō per aliquam ſui ſimilitudinem; intellectus autem Angeli videt ipſum naturali cognitione, per ſimilitudinem eius acquiſitam in ipſo, vnde dicitur in lib. de cauſis, quòd Intelligentia ſcit, quod eſt ſupra ſe, inquantum eſt creata ab eo, vnde ſimilitudinem diuini ſuperioris eſſe participat ſecundum modum ſuum. Intellectus autem humanus ad hanc viſionem naturali cogni tione non peruenit, niſi per ſimilitudinem receptam à creaturis, in quantum per ea,

quæ

quæ facta ſunt inuiſibilia cognoſcit, vt dicitur Rom. *1.* Item D. Thom. in *3.* ſent. diſt. prima quæſt. prima art iii. ad ſextum, inquit beatitudinem eſſe ex ipſa diuinitate, in quam virtus intellectus immediatè fertur, ex quo in partes inferiores redundat gloria: Verum quia breuiter velle de hoc agere propoſuimus, huic capiti finem imponemus, & ſi plura ex Theologorum mēte circa hoc deſiderētur, de eo quæratur apud D. Thom ſecunda ſecundæ, quæſt. xi art. *3.* & tertia parte quæſt. lii art. v. & contra gentes, capite xxvi. & *36.* & de ueritate, quæſt. prima art. *1.* ad octauum, & contra gent. cap. *36.* & *61.* & quodlib. ix. & opuſc. *3.* cap 10*4*. *106*. & *107*. & Ioānem Scotum in tertio ſententiarum *3.* diſt. diſtinctio. ſecunda, parte ſecunda, & *49.* diſt. *4.* & *14.* q. quolib. & *14.* diſt. *3.* & ix. diſt. ſecunda.

Vtrum

Vtrum Intelligẽtia moueat Cœlum ſicuti eius forma, vel Cœlum moueatur à propria forma, Philoſophorum opinio. Cap. XV.

VTRVM Intelligentia moueat Cœlum, & illi uniatur tanquàm eius forma non ſolum eſt inter Philoſophos, & Theologos; uerum etiam inter ipſoſmet philoſophos aliqua diſſentio.

Auerr. enim temet Intelligentiam eſſe formam Cœli illi ſecundas perfectiones tribuentem.

Nos verò cum oppoſita parte, philoſophicè loquendo, aſſerimus Intelligentiam non eſſe formam Cœli.

Verum pro huius quæſtionis dilucidatione quatuor hæc ordine proſequemur,

com-

cōmentatoris opinionem perſcrutabimur primo, communem, & probabiliorem opinionem declarabimus ſecundo, tertio Auerr. & Auicennæ opiniones impugnabimus; quarto Auerr. argumenta in medium adducentes ſoluemus.

Quoad commentatoris ſententiam, ſenſuit ipſe quòd cum motus circularis competat Cœlo, & ille motus ſit animæ proprius, oporteat aliquam ſubſtantiam uiuentem, nempe Intelligentiam eſſe formam Cœli ipſum mouentem, cuius ratione & motus, & figura Sphærica, & alia huiuſmodi accidentia Cœlo conueniant; Verum ſubiungit huiuſmodi formas non dare Cœlo primas perfectiones, ſed ſecundas: Pro cuius euidentia non ignorandum eſt formas materiales ad ſua ſuſceptiua dupliciter ſe habere Primò quidem cū earum ſubiectum, ſcilicet materia prima ſit potentia, & ex potentia & actu fiat per ſe unum, ut patet in 8. metaph tex. com. xvi. ex materia, & forma materiali fieri unū per ſe, & quia dimenſiones iuxta Auerr. ſūt

materiæ

materiæ coæternæ, cum quantum non niſi in quanto recipi poſſit, & extenſum in extenſo, Propterea quælibet forma materialis mediantibus dimenſionibus in materia accipitur: Facere itaq́. unum per ſe cum ſuo ſuſceptiuo, atq́. recipi mediantibus dimenſionibus eſt proprium formæ materialis, & pœnes iſta duo formæ materiales differunt à forma Cœli, quia forma Cœli, uidelicet Intelligentia, nō facit unum per ſe cum corpore cæleſti, cum corpus cœleſte ſit ens in actu, & quia eſſe in actu eſt prima perfectio, ideo ei primam perfectionem non tribuit, nec in eo mediantibus dimēſionibus recipitur, omnis enim forma recepta mediantibus dimenſionibus eſt forma diuiſibilis. Secundo ita ſe habent formæ materiales ad ſuas materias, quòd ſunt in eis magnitudinis, & quantitatis cauſæ diſtinctæ, ut dicit Auerr. primo Cœli com. 75. ſunt etiam cauſæ proprii motus corporis naturalis, ut dicit primo Cœli com. xix. & 84. item ſunt quoq́. aliquæ formæ cauſæ diſtinctæ figuræ, ut uidere eſt in uiuentibus,

ut

ut inquit ibidem Auerr. Com. *61*. & primo de anima com. *55*. & iſtæ appellantur perfectiones ſecundæ, & eas habet corpus cæleſte ab Intelligentia, eſt enim determinatæ quantitatis, & figuræ ſphericæ, & habet motum ab Intelligentia: ex quo patet Intelligentiam partim conuenire cum formis materialibus, & partim differre ab illis: Habemus itaq. per hanc opinionem Intelligentiam eſſe formam Cœli ei ſecundas perfectiones, non tamen primas attribuentem.

Ad euidentiam ſecundi dicti ſciendum eſt communem, & probabiliorem eſſe ſententiam, quòd Intelligentia nullo modo ad Cœlum tãquam ipſius forma comparetur, licet ad eum comparetur ut motor, eſt tamen Intelligentia in ſe quædam forma ſubſiſtens, non autem forma informans: Cœlum itaq; non habet Intelligentiam, quæ ſibi uniatur ut forma, ſed habet ſuam propriam formam ſubſtantialem, quæ cum materia facit unum per ſe.

Ad euidentiam tertii dicti, nempè quòd

opinio Auerr. quòd Intelligentia ſit forma Cœli dans ei perfectiones ſit falſa, conſiderandum eſt primo iſtam Intelligentiam, quæ dat ſecundas perfectiones, uel dare eas tantum effectiuè, aut etiam formaliter, ſi dicitur quòd effectiuè tantum non concluditur propoſitũ Auerr. quia ex hoc, quòd eſt dare tales perfectiones effectiuè non poteſt concludi, quòd dans eas perfectiones ſit forma illius, cui dat, alioquin ignis manũ calefaciens eſſet forma manus, ſi uerò dicatur, quòd Intelligentia det Cœlo illas ſecundas perfectiones formaliter, tunc dabit etiã primas, & ſic habebo intentum. Quòd etiã daret primas ex eo patet, quòd eſt impoſſibile effectum formalem à forma ſeparari, ſicut eſt impoſſibile in pariete eſſe albedinem, & quòd non det ei eſſe album, ſed eſſe eſt pars effectus formæ, ergo impoſſibile eſt formam eſſe in aliquo, & illi non tribuere tale eſſe, quale ipſa habet, ut ſi anima ſit in homine, impoſſibile eſt quòd non det homini eſſe animatum, ſi ſubſtantia, quòd non det eſſe ſubſtantiale, ſi accidens accidẽ

tale,

tale,ergo ſic & Intelligentia non poteſt eſſe forma Cœli,niſi det ei primam perfectionem,quæ eſt eſſe.

Secundo conſiderandum eſt, quòd ſi Intelligentia daret Cœlo ſecundas perfectiones, eſſet forma accidentalis, non ſubſtantialis ,quod eſt falſum dicere,quia dans formaliter eſſe ſphæricum,& alias ſecundas perfectiones , quæ ſunt accidentia, eſt neceſſariò forma accidentalis : Impoſſibile eſt enim aliquid eſſe formaliter tale per formam alterius generis, puta , formaliter album per quantitatem , & formaliter quantum per ſubſtantiam,ſed Intelligentia nõ eſt forma accidentalis , ergo Cœlum non habet formaliter ab ea eſſe ſphæricum, vel moueri, vel alias perfectiones ſecundas .

Tertio animaduertendum eſt , quod cũ accidentia Cœli ſint formæ accidentales ipſius, non poteſt Cœlum iſtas formas accidentales, ſeu ſecundas perfectiones habere ab Intelligentia ; Tunc enim eiuſdem effectus eſſent plures diuerſæ cauſæ , & etiam eiuſdem rationis, quia ſi lux, figura, quan-

titas, motus, & alia huiuſmodi dant Cœlo eſſe formaliter lucidum, eſſe ſphæricum, eſſe quantum, moueri, &c. quæ ſunt accidentia Cœli, Intelligentia non poteſt iſta dare Cœlo :

Quarto perpendendum, quòd primæ perfectiones Cœli ſunt eſſentiales, ſecundæ verò ſunt accidentales, verum accidentalia non poſſunt ſine ſubſtantialibus exiſtere, eſſe enim accidentale eſt eſſentiali poſterius, ergo eſſe accidentale præſupponit eſſentiale, quia vbi eſt ordo eſſentialis inter aliquos actus, oportet quòd actus poſteriorũ præſupponat priorem, & ſit ab eo, hoc patet in numeris, & in figuris, & in omnibus formis ordinem eſſentialem habentibus, vt dicitur ſecundo metaph. com. 4. ſi ergo inter ſecundas perfectiones, & primas, ſiue inter eſſe accidentale, & eſſe ſubſtantiale eſt eſſentialis ordo, neceſſariò accidentale præſupponit ſubſtantiale, & ab ipſo oritur, cũ igitur (ſecundum declarantes opinionẽ Comen. eſſe; Intelligentias dare ſecundas perfectiones Cœlo) Cœlum habeat ex ſe primũ

actum

actum eſſentialem, neceſſariò habet & ex ſe eſſe accidentale, perfectiones nempè ſecundas.

Quinto forma quælibet, vel facit cum eo, cuius eſt forma, vnum per ſe, uel unũ per accidens, ut colligitur in quinto metaph. tex. com. xiii. ſi itaq; Intelligentia eſt forma Cœli, neceſſe eſt quòd aggregatum ex Cœlo, & Intelligentia ſit quoddam unum, ſed non ſunt unum per ſe; ergo unum per accidens, ſicut homo, & ueſtimentum eius, Plato, & albedo.

Sexto Permanentia non eſt aliud quàm continuatio eſſe actualis exiſtentiæ, ergo eſt impoſſibile quòd Cœlum habeat permanentiam (permanentia enim eſt ſecunda perfectio Cœli) ab Intelligentia, à qua non habeat eſſe, ſed non habet eſſe ab Intelligentia, ergo neq; permanentiam. Ex hoc itaq; clarè patet falſum eſſe opinatum Auerr. ſi intellexit Intelligentiam dare Cœlo ſecundas perfectiones.

Verum nonnulli recentiores exponunt Auerr. aſſerere Intelligentiam dare Cœlo ip

ſas primas perfectiones, & ipſum eſſe; ſed nec iſtorum opinio mihi probatur, faciũt enim iſti Auerr. ſibi contradicere, nam in libro de beatitudine animæ apertè aſſerit Cœlum eſſe animatum anima diſtincta ab Intelligentia, ergo contra mentem Auerr. eſt Intelligeutiam dare eſſe orbi.

Item quod habet eſſe completum, totale, perfectum, determinatum, & ulimatũ non poteſt eſſe pars alterius, ſed Intelligentia habet eſſe completum, totale, perfectũ, determinatum, ultimatum, & omnis forma unibilis materiæ eſt pars ſpeciei, ergo non poteſt eſſe pars Cœli, ergo non eius forma. Maior probatur, quoniam eſſe totum, & partem reſpectu eiuſdem eſt eſſe cõtradictoria, ſcilicet totum, & non totum, cõpletum, & non completum; Minor quoad primam partem eſt clara, quoad ſecundã probatur, quia ex forma, & materia, cui forma unitur, fit vnum per ſe, ergo illius tam forma, quàm materia ſunt partes, & hoc argumentum militat contra vtramq; expoſitionem ſuper Auerr.

Exponentes

Exponentes tamen Intelligentiam darę Cœlo perfectiones ſecundas, hoc argumẽtum ſic ſubterfugere conantur, dicendo quòd forma, quæ vnitur materiæ ei dando primas perfectiones eſt pars ſpeciei, quia ex ipſa,& materia fit vnum per ſe; forma uerò, quæ unitur ad dandum tantum ſecundas perfectiones,non eſt pars ſpeciei,& hoc modo Intelligentia vnitur Cœlo, non tanquàm eius pars, quia dat ei ſecundas perfectiones exigitiuè.

Sed contra ſic obiicitur; dare ſecundas perfectiones exigitiuè, vel dicit cauſalitatẽ, uel ſolum præſuppoſitionem ſicut motor præſupponit approximationẽ ad mobile;ſi cauſalitatẽ ſic non põt cõcludi, quòd dans iſtas perfectiones ſit forma illius cui dat, alioquin (ut dictũ eſt)ignis calefaciẽs manũ, hoc eodem modo eſſet forma manus;ſi daret præſuppoſitionem, ſimiliter etiam non ſequetur ex hoc quòd Intelligẽtia ſit forma Cœli,ſicut nec ſequitur quòd agens ſit forma paſſi, licet præſupponat diſpoſitiones in paſſo,nec motor eſt forma mobilis, in

quo

quo exigit, & præſupponit approximationem: ſiue ergo uno modo, ſiuè alio interprætetur Auerr. in hoc loco, nullo modo mihi probatur Auerroes, nã poſitio utraq. eſt falſa, ſed præcipuè illa, quòd Intelligentia det eſſe Cœlo, repugnat Philoſophis, & phyſicis profeſſoribus, qui uolunt ſubſtantiam intellectualem non uniri corpori, niſi mediante uegetabili, & ſenſibili, ſi Cœlum itaq. perficeretur à ſubſtantia ſpirituali, haberet ſentire, & uegetare, & ita naturaliter poſſet corrũpi, ſed hoc eſt falſum, ergo &c. falſa ergo eſt opinio Auerr.

Nec ea tamen uerior eſt opinio Auicennæ in 9. met.c. 2. qui dicit orbes cæleſtes moueri ab animabus ſuis effectiuè, & quẽlibet orbem cieri ab vna Intelligentia ſibi appropriata in ratione amati, & deſiderati, hoc eſt dictu, quòd animæ eorum mouẽt eos propter amorem, & deſiderium cauſæ primæ.

Quàm erronea ſit iſta opinio ex eo patet, quia ſupponit Cœlos eſſe animatos, & propriam animam habere, Cœli enim nõ

ſunt

ſunt animati; quòd ex eo probatur, quia ſecundum philoſophum in 2. de Anima cō. xiii & infra, non datur præter animam uegetatiuam, & intellectiuam alia anima, ſed Cœlum non habet animam uegetatiuam, non ſenſitiuam, non intellectiuam, ergo nō habet animam; Minor probatur quoad omnes partes, & primo quoad primam, nā quicquid habet animam uegetatiuam nutritur, augetur, & de ſe ſibi ſimile generat, generatiua enim, nutritiua, & augumentatiua ſunt partes potentiales animæ uegetatiuæ, ſed Cœlum non nutritur, non augetur, nec ſibi ſimile de ſe generat, ergo non habet animam uegetatiuam. Quoad ſecūdam partem etiam probatur, omne habēs animam ſenſitiuam habet organa ſentiendi, nec anima ſenſitiua ſeparatur à uegetatiua, quilibet enim ſentiens habet aliquam potentiam uegetatiuè, ſed cum Coelum nō habeat organa ſentiendi, & ſimiliter careat anima uegetatiua, (ut probauimus) caret etiam anima ſenſitiua: Quoad ultimam partem tandem oſtenditur, Non enim habet

Coelum animam intellectiuam, quia nullum corpus poteſt informari anima intellectiua, niſi habente uim delectandi, uegetandi, & ſenſificandi, quia ſuas operationes intelligibiles per corpus non exercet, niſi mediantibus aliquibus uiribus ſenſitiuis, ſed iſtas non habet Coelum, ergo nec intellectiuam animam.

Eſt itaq. falſa Auicennæ opinio, & ſi quæ adducantur Philoſophi auctoritates in gratiam Auicennæ, ex quibus comprobari uideatur Coelum eſſe animatum, uelu ti eſt 2. Coeli tex. com. 61. quòd corpora cæleſtia ſunt uiua habentia operationem animalem, & ſic etiam in tertio coeli tex. com. 31. quòd ſi eſſent in unoquoq; orbiũ hæſitantium ſtellæ multæ, eſſet orbis ultimus in labore, & pœna, cum ipſo moue ret orbes, qui ſunt poſt ipſum motu diuer ſo, & reuolueret eos, ſed eſſe in labore, & pœ na non competit corpori inanimato, ergo ultimus orbis eſt animatus, & ueluti eſt in primo Cœli tex. com. xx. & infra, corpora cæleſtia maximè recedunt à contrarietate,

ergo

ergo maximè ſunt animabilia anima intellectiua, nam homo etiam propter receſſum à contrarietate eſt animabile anima intellectiua.

Reſpondebitur ad primam (licet Theologus illam propoſitionem Philoſophi in propoſito ad mittere non deberet, fuit .n. contrariæ opinionis, curioſè tamen dici poteſt) quòd Intelligentias motrices uocauit animas corporum cæleſtium propter ſui deputationem, & appropriationem ad mouendum illa corpora, & proportionem uirtutis eorum ad mouendum ea tali motu.

Ad ſecundam reſpondetur Ariſtotelem ibi accipere eſſe in labore, & pœna per ſe habere ad modum laborantis, & nimiam pœnam ſuſtinentis, quia ſicut homo, qui in proportionali laborauit, non poteſt mouere aliquod mobile magnum ita uelociter, ſicut potuiſſet ante laborem, ſic Intelligentia mouens primum orbem, & reuoluēs orbes inferiores, non poſſet mouere primũ orbē ita uelociter, & ex cōſequēti nec orbes inferiores ita uelociter reuoluere, ſi in uno-

quoq; eorũ eſſent ſtellæ multæ,ſicut modo poteſt, nã eius uirtus ita eſt proportionata ad mouẽdũ primũ orbẽ,&reuoluendũ orbes inferiores illo motu,quo mouet, quòd nõ poſſet eos velocius mouere, & ideo ſi alia corpora adderentur; nõ poſſet omnia ita velociter reuoluere.

Ad tertiam dicendum non omnem receſsũ à contrarietate facere corpus eſſe animabile,ſed tantummodo illum,qui eſt per naturam conuenientis proportionis in mixtione ad actus vitæ.

Nec mihi veritati uidetur conſentaneũ, quòd nonnulli aſſerant Cœlum ab Intelligentia naturaliter moueri, non enim eſt ratio cur Intelligentiæ naturalis influẽtia magis ad mouendum Cœlum ad unam partem,quàm ad alteram ſit determinata,quapropter erit dicendum non naturaliter, ſed per uoluntatis imperium determinatè ad ipſum Cœlum ad hanc partem mouendã, & non ad illam determinari.

Præterea à ſimili,ſicut anima intellectiua licet corpori, quod perficit, ſit connatu

ralior,

ralior, quàm aliqua Intelligētia alicui orbi, tamen motiua potentia ſecundum locum non mouet hominem, niſi ad uoluntatis, uel ſenſitiui appetitus Imperium, cum ſuũ non habeat uſum uoluntas rationalis, ſicut & in ſomniis quandoq́; contingit.

De noſtra uerò circa hanc opinionem, in ſequenti cap. breuiter uerba faciemus.

Modo ad argumenta contra noſtram poſitionem accedamus; quorum primum Argumentum Auerroiſtarum hoc eſt Quæcunq; forma dans alicui corpori, quòd ſit intelligens ſecundum ſe totum, & ſecundum cunctas eius partes, unitur ei ſecundũ eſſe, ſed Intelligentia dat corpori cœleſti quod ſit intelligens ſecundum ſe totum, & ſecundum omnes partes eius, ergo illi ſecundum eſſe unitur: Probatur minor per commentatorem *2.* Cœli text. com. *3.* & in lib. de ſubſtantia orbis dicentem, quòd homo non eſt intelligens ſecundum ſe totum, ſed ipſius intelligere uiget in determinata corporis parte, non tamen formaliter, ſed obiectiuè, forma uerò corporis cœleſtis

cò

eò quòd ſibi unitur non mediante aliqua parte, dat corpori cœleſti quòd ſit intelligens uniuerſalitet ſecundum totum.

Secundum argumentum, uel Cœlum eſt indifferens ad circularem motum, uel naturaliter inclinatur ad ipſum, ſi eſt indifferens; ergo ille motus non eſt naturalis: patet conſequentia, quia motus naturalis eſt determinatè ad vnum, vt videre eſt in *2*.phyſic. text. com.iii. ſi verò naturaliter inclinatur ad illum, vel iſta inclinatio eſt à figura ſphærica, vel à corporeitate, vel ab Intelligentia, ſed non à figura ſphærica, non à corporeitate, ergo ab Intelligētia; Quod nō à figura ſphærica ex eo patet, quia figura ſphærica eſt propter motum, non autem è conuerſo, quod non à corporeitate eſt manifeſtum, quia motus circularis eſt non corporis, ſed animæ proprius, ergo ſolum eſt ab Intelligentia.

Tertium argumentum, in Cœlo ſunt virtutes, quæ in corporeitatem reduci non poſſunt, nam oriens habet ſpecialem uirtutē, unde habet dextrum, & occidens ſiniſtrum;

&

& planetæ habent aliam,& aliam uirtutem ſecundum quod ſunt in alia,& alia domo, ergo iſtæ uirtutes ſunt ab Intelligentia dante eſſe Cœlo.

Quartum arg. ſi Intelligentia non eſſet forma Cœli, ſequeretur quòd in Cœlo nō eſſet principium naturale motus ipſius, ſed hoc eſt falſum, ſecus ille motus non eſſet naturalis, ergo Intelligentia eſt forma Cœli: conſequētia in ſecundo argumento iam deducta uidetur: Minor probatur, corpus, in quo non eſt naturale principium motus, eſt corpus mathematicum, & non phyſicum, ut patet ex ratione corporis phyſici, ſed Cœlum eſt corpus phyſicum, ut dicitur primo Cœli, ergo in eo eſt naturale principium motus.

Quintum arg. Cœlum eſt cauſa principalis plantarum, & multorum animaliū, ſaltem eorum, quæ generantur per putrefactionem, (ut dicit cōmentator. xii. metaph. com. 6.) ergo neceſſariò eſt in eo aliqua anima, iſta autem non poteſt eſſe alia niſi Intelligentia, ergo &c. Probatur conſequentia

Aliqui verò tenent cœlum à ſua forma naturaliter moueri, quamuis ſit corporalis;

Alii vero affirmant cœlum effectiuè à cauſa prima immediatè moueri, hoc eſt nõ mediante cauſa ſecunda.

Sed omnes hæ poſitiones ſunt falſæ, vt licet videre diſcurrendo per eas, nam quòd cœlum moueatur ab Intelligentia ſolo uoluntatis imperio videamus eſſe falſum per hoc, quòd in motu, quo anima ſuum corpus localiter mouet, eſt intellectus dirigens, & voluntas imperans, & alia potentia à voluntate motum exequens ſecundum volũtatis imperium prout poteſt: ſic ergo & in motu, quo Angelus mouet cœlum, non ſolum eſt intellectus dirigens, & uolũtas motum imperans, ſed etiam alia potentia motum exequens ſecundum imperium uoluntatis Angeli pro vt poteſt.

Præterea quòd hæc poſitio ſit falſa, patet etiam ex eo, quòd à Stephano Epiſcopo Pariſienſi excommunicati ſunt tenentes Angelum ſola voluntate, cœlum mouere:

Secunda poſitio eorum, qui volunt cœ

lum naturaliter moueri à ſua propria forma,quamuis ſit corporalis,dicentes,quòd ſicut formæ grauium,&leuium determinatæ ſunt ad motum earum ſurſum, uel deorſum, ſic forma cœli determinata eſt ad circularem motum,eſt falſa,quod quatuor quidem rationibus comprobatur.

Et primo,nam corpora ad aliquem motum naturalem determinata,ſunt ad illum propter hoc determinata, quòd per ipſum aliquam perfectionem conſequũtur. Hinc grauia,& leuia per ſuum motum ad ſua loca ſuæ ſalutis conſeruationem aſſequuntur, Cœlum verò per ſuum motum nullam perfectionem conſequitur , nec ideo ſic mouetur, vt motus perfectionem aſſequatur,nam poſt reſurrectionem,cum mũdi facies meliorabitur, Cœlum ſua perfectione priuaretur,cum ceſſaret à motu.

Secundo,ſi motus eſſet perfectio naturalis ipſius Cœli, huiuſmodi perfectio maximè eſſe deberet in nobiliſſimo Cœlorum, in Cœlo uidelicet Empyreo,&tamen illud quieſcit,ut patet.

Tertio

Tertio nulla datur ratio, per quam Cœlum ſit perfectius per ſuum motum ab oriente in Occidentem, quàm è conuerſo, ex quo clarè patet motum nullam Cœlo tribuere perfectionem, & ſic illi non eſſe naturalem.

Quarto inquit Auicennas, in 9. Met. cap. 2. Principium motuum Cœli non eſſe naturam, nec eſſe uiolentum, ſed per uoluntatem, & quòd Cœlum moueatur per voluntatē Theologi in hoc cum eo conueniunt, ſed in hoc diſcripant, quia Auicenna intellexit de uoluntate animæ, Theologi uerò de uoluntate Intelligentiæ, nec cēſent, (ut ipſe eſt opinatus) animam Cœli ipſum Cœlum per uoluntatem mouere, in quo errauit, Cœlum enim non eſt animatum, vt viſum eſt ſuperius.

Tertia opinio quòd Cœlum moueatur effectiuè à cauſa prima etiam eſt improbāda, quamuis enim prima cauſa omnes orbes immediatè mouere poſſet, tamen propter ſuæ bonitatis communicationem, voluit ipſos orbes à ſe mediantibus aliquibus

ſecundis cauſis moueri,nec nō propter maiorem inter ſe creaturarum connexionem: Intelligentia itaq́.(ut diximus in præcedenti cap) non comparatur Cœlo,vt eius forma,ſed ad ipſum comparatur, vt motor, quod etiā innuit D.Thomas in 2.lib. cōt. gent. cap.70. vnde inquit ibi commentator ad quartum,quod uolens D.Thom.ſoluere etiam Ariſtotelis opinionem,quando dixit Cœlum eſſe animatum,debet intelligi non anima dante eſſe, ſed tantum anima mouente:Vnde ait in quæſtionibus ſpiritualibus,ad ſaluandam Ariſtotelis,& Platonis intentionem, ſufficere uideri ſubſtantiam ſpiritualem uniri cœleſti corpori, ut motorem; ſed hoc declarando quomodo Angelus uniatur Cœlo, ut motor, aimus cum Authorato Theologo Cœlū per hoc ab Angelo moueri, quod aliqua potentia ipſius Angeli intellectu dirigente,uoluntateq. imperante aliquam virtutem de Cœli potentia ad actum educit, qua quidē Cœlum ad motum determinatum ab Angeli uoluntate imperatum determinatur,& per

illam

illam uirtutem Cœlum ipſum mouet &c, Ita tamen quod inter iſta in mouēdo Cœlum hic detur ordo; Deus enim principaliſſimus eſt motor, ſub ipſo Angelus eſt Cœli principalis motor, uirtus verò cauſata in ipſo ab Angelo modo prædicto, eſt ferè inſtrumentalis motor, forma autem naturalis tam accidentalis, quàm formalis ipſius Cœli eſt id, quod eſt in eo naturalis aptitudo, ut moueatur tali motu, & quãdiù hæc uirtus in Coelo permanebit, per ipſius Angeli potentiam, tamdiù Coelum mouebitur, cum uerò ceſſabit prædictam influentiam cauſare, & conſeruare in Coelo, Coelum quieſcet: Et hæc de noſtra opinione.

Solutiones

Solutiones argumentorum Phyloſophorum. Cap. XVII.

MOdo ad argumenta, probantia Angelum eſſe formam Cœli quæ ſuperius reliquimus reſoluenda accedamꝰ. Et quia fundamenta iecimus in præcedenti capite, ſtatim ad id ueniemus.

Ad primum itaq. argumentum, quod erat, forma dans alicui corpori, quòd ſit intelligens, unitur ei ſecundum eſſe, hanc maiorem concedimus, ſed minorem negamus, Cœlum enim nullam habet ex operationibus animæ, & licet probetur per commentatorem, tamen quia fuit contrariæ opinionis in hac parte non eſt recipiendus.

Ad ſecundum, quod erat, aut Coelum eſt indifferens ad circularem motum, aut inclinatur ad ipſum, Reſpondetur Coelum

ad

ad motum inclinari circularem, quæ quidem inclinatio nec eſt à quantitate, nec à figura ipſius Coeli, ſed eſt à forma eius ſubſtantiali, quæ ipſum ad hoc inclinat ut ſit aptum tali motu ab Angelo moueri, ſicut enim à ſua forma ſubſtantiali & figuram, & alia habet accidentia, ita etiam ab illa inclinationem habet ad motum, quæ quidē inclinatio non actiua eſt, ſed paſſiua, & inde dicitur ille motus naturalis, quia eſt à principio intrinſeco paſſiuo.

Ad tertium, quod fuit, in Coelo ſunt uirtutes, quæ in corporeitatem nequeunt reduci, dicitur uirtutes partium Cœli, & planetarum eorum ſubſtantiales formas cōſequi, agunt enim in hæc inferiora per lucem, dicimus tamen ex diuerſo aſpectu ad res corruptibiles diuerſos cauſare effectus, & pariter etiam ex uaria diſpoſitione materiæ ſicut etiam idem numero ſol ceram calefacit, & lutum coagulat, ſed tamen cum planetarum uirtutes ſint diſtinctæ ex eorum concurſu aliquid cauſari poteſt, quod tamen à nullo ipſorum ſolitariè accepto cauſaretur.

Ad quartum, quod dicit, ſi Intelligentia eſſet forma Coeli, ſequeretur quòd in Cœlo non eſſet principium naturale motus ipſius, Reſpondetur negando conſequētiam, àd probationem uerò dicitur in omni corpore materiali eſſe intrinſecum principium ſui motus, ſed differenter: In elemētis enim & mixtis principium intrinſecum, quo mouentur, eſt actiuum, & formale, ſicut grauitas in corpore graui, & leuitas in in corpore leui, Dum enim graue deſcendit, ille motus tamquam à principio actiuo eſt à grauitate, quo mediante mouetur. In Cœlo uerò (ut dictum eſt) eſt tantum principium paſſiuum, actiuum uerò eſt Intelligentia ſeparata.

Ad quintum, & ultimum, quod erat; Coelum eſt cauſa principalis plantarum, & multorum animalium, ergo neceſſariò eſt in eo aliqua anima &c. Reſpondetur Cœlū cauſare animata mediante Intelligētia, quæ non unitur ei, ut forma ſed ut motor.

Sed contra dicere poſſent.

Motor nihil facit ad actionem prouenientem

entem ex mobili, niſi quòd actiua paſſiuis applicat, ergo ſi Intelligentia eſt tãtum motor Cœli nihil facit ad effectus eius effectiuè.

Nos verò reſpondemus, quòd ſicut inſtrumentum agit in uirtute principalis agentis ad cauſandam rem artificiatam, ſic Coelum ut inſtrumentum Intelligentiæ viuentis cauſat uitam in rebus inferioribus, Vnde reſponſio illa ad hoc quintum argumentum tradita eſt bona, & ad impugnationem. Reſpondetur negando antecedẽs, inſtrumentum enim poteſt aliud ex uirtute agentis principalis, quod ex ſeipſo non poteſt, ſicut etiam naturalis calor, ut inſtrumentum animæ uitam cauſat, ut inquit Phyloſophus *2*. de anima tex. com. *41*.

Cœlum eſt inanimatum. Cap. XVIII.

QVoniam in ſuperiori hac quæſtione Auicennæ opinionem impugnãdo, obiter probauimus per Ariſtot. in *2.* de Anima com. xiii. & xiiii. Cœlum non eſſe animatum, tamen quia nonnulli volunt ipſum Ariſtotelem,& vnà cum eo commentatorem Auerroem aſſeruiſſe Coelum eſſe animatum propterea dicimus hoc nec de mẽte Ariſtotelis, nec Auerrois elici poſſe ſiue teneri,& eæ, quæ adducuntur auctoritates comprobantes Ariſtotelem tenere Coelũ animatum,ſunt intelligendæ,ut ibidem diximus, quòd quando dixit Phyloſophus *2.*Coeli tex.com. *61.*corpora coeleſtia eſſe viua habentia operationem animalem,uocauit Intelligentias motrices animas corporum Cœleſtium propter ſui applicationẽ

ad

ad motum illorum corporum,& proportionem uirtutis eorum ad illa ſic mouendum,& quando dixit in *3*. Cœli tex. com. *61*.quòd ſi in quolibet hæſitantium orbiũ eſſent ſtellæ multæ,eſſet ultimus orbis in labore, & poena, quòd corpori inanimato non competit, Reſpondetur ibi Phyloſophum accipere eſſe in labore, & pœna pro ſe habere ad modum laborantis, & nimiã pœnam ſuſtinentis,quod metaphoricè dici poteſt de corpore inanimato, ut etiam, &rectius ſuperius in hoc eodem libro reſpondimus, & quando inquit Ariſtotiles primo Coeli tex. com. xx. & xxi. corpora cœleſtia maximè recedere à contrarietate, & ex eo infertur,ergo maximè eſſe animabilia anima intellectiua. Dicitur non omnem receſſum à contrarietate facere corpus eſſe animabile,ſed ſolummodo ille receſſus, qui eſt per naturam conuenientis proportionis in mixtione ad actus uitæ, & ut etiã in præcedenti capite teſte D.Thom. dictum eſt,quãdo Phyloſophus dixit Coelum eſſe animatum, intellexit non anima

dante eſſe,ſed tantum anima mouente, & ſpiritualis ſubſtantia Cœleſti corpori ut eius motor unitur.

Quòd uerò nec Auerr. ſenſerit Coelũ eſse animatum,ut multi opinantur,patere poterit eius intentionem perſcrutando. Non fuit enim Auerr. intentio, quòd anima Cœli, & motor ejus, & Intelligentia ſint res diſtinctæ, ſed quòd ſint unam et res diſtinctas habens rationes; ea enim ſubſtantia quatenus Coelum mouet anima appellatur, & eadem quatenus ſecundum ſe abſolutè conſideratur, Intelligentia uocatur; & quòd hæc ſit eius opinio colligitur ex xii.met com.*36*.ubi inquit, Cœlum eſſe animatum, inquit etiam animam Cœli à materia eſſe abſtractam, & deinde ſubiungit,declaratũ eſt in libro de anima formas abſtractas eſſe intellectus, quapropter hoc mouens eſt intellectus, & hoc mouẽs eſt anima:Præterea *2*. Cœli com.vi.ſic ait, Declaratum eſt in Phyſicis, & declaratum eſt in libro de anima,quòd illud, quod eſt huiuſmodi eſt intellectus, & declaratum

eſt

eſt in tractatu primo, quòd forma intelligi bilis non mouet niſi ſecundum deſideriū, quod fit à ſuo intellectu: Ex quibus patet, quòd anima Cœli eſt ipſe intellectus eius, & motor: Et quòd iſta anima,& motor ſe cundum ipſum commentatorem ſint idē cū forma Cœli,patet in xii. metaph. com. *36*. cum dicit ſecundum igitur quod iſta intellecta ſunt formæ eorum ſunt mouentia ſecundum agens. Idem habetur in xii. met. com.vi. & in tractatu de ſubſtantia ſic inquit,non eſt dicendum, quòd formæ à quibus mouentur corpora cæleſtia ſint aliæ ab eis ad quas mouentur, & poſtea ſubdit, quòd forma,à qua eſt motus, & il la,ad quam eſt motus ſunt eædem, &non differunt niſi in diſpoſitione: Item in eodē libro cap. *2* ſic dicit, quòd Cœlum non eſt graue,nec leue,& quòd mouetur circu lariter. Clarè patet ergo ex dictis,quæ ſit ſen tentia Auerr. ſed de his hactenus.

De

De Angelorum Hyerarchijs Cap. XIX.

IAm nobis fas ſit trina Angelorum acie ductis a Cœlo mobili, ac viſibili ad inuiſibile, & Empireum, quinimo ad atrium ſummi Dei aſcendere, eiuſq; diuinam maieſtatem uenerari, ac adorari, quam trinam cũ Sacris Theologis, trina etiam Angelorum Hyerarchia ſtipatam agnoſcimus, atq; fatemur, corruſcat enim ſuprema Patris maieſtas Seraphinis diuinæ prouidentiæ ordinem in Dei bonitate, tãquã fine ſpeculantibus, Cherubinis eundem in Dei ueritate, tãquã forma contemplantibus, & Trhonis in Dei æquitate tãquã in Throno relucentibus, Deus ſiquidem glorioſus primum amat ut Caritas, deinde noſcit ut ueritas, tũ demum ſedet ut æquitas, ſplendet etiam Sacroſanctum Filii numen Dominationi

bus

bus Filium in ſe ipſo, Virtutibus Filium à Patre manantem, Poteſtatibus Filium cum Patre Spiritum producentem adorantibus, In primis enim Deus dominatur ut maieſtas, in ſecundis operatur ut uirtus, in tertiis omnia tuetur ut ſalus, Refulget etiam Sanctisſimus Paraclyti ſplendor Principatibus Spiritum in ſe ipſo, Archangelis Spiritum uenientem à Patre, atq́ Filio, Angelis Spiritum à Filio, Patreq́. effluentem intuentibus, Deus etenim regit ut Principatus, reuelat ut lux ſplendidisſima, emittit ut ſpirãs: Quamobrem ex Dyoniſii, & alioiũ Theologorum ſententia (ni ipſe fallor) una Dei eſſentia in ternarium deducitur numerum perſonarum, (ut in præcedenti libro eſt oſtẽſum) Hunc inquam ternarium numerum, ternarius Hyerarchiarum , & nonarius Angelicorum ordinum, quaſi ſpiritualium ſphærarum numerus circuit. Quæ omnia ut ob oculos pateſcãt, en trini Dei, Coeliq́. Empyrei glorioſum ſchema.

Ecce,



Ecce Dei gloriam hiſce carminibus re lucentem.

Pſalm. 103.

TE rerum Deus alme canam, domi
numq., Patremq.
Magne Parens, ſancta quàm maie
ſtate verendus?
AEteris æternas rector molliris habenas,
Te decor, auratis ambit te gloria pennis,
Et circumfuſum ueſtit pro tegmine lumē,

Tu

Tu tibi pro velo nitidi tentoria Cœli,
Et liquidas curuuo ſuſpendis fornice lym-
phas,
Et leuibus ventorum alis per inania ve-
ctus
Frenas ceu celeres volitantia nubila cur-
rus,
Apparent accinctæ auræ, flammæq. mini-
ſtræ,
Vt iuſſa accipiant, ſtat nullo mobilis æuo
Terra, ſuper ſolidæ nitens fundamina mol
lis
Pollenti ſtabilita manu. Terra obruta quō
dam
Fluctibus, vt fuſo ſuper ardua culmina
uelo,
Sed ſimul increpuit tua uox, tronituq. tre-
mendo
Inſonuere auræ, paulatim aſcendere mon
tes
Cernere erat, ſenſimq. cauas ſub ſydere
valles,
Inq. cauas ualles trepidas decurrere lym-
phas.

Omnipotens nullo regnet cum fine per æ-
uum
Maieſtas diuina,ſuumq́. in ſecula lætus
Seruet opus Deus, ille Deus, quo territa
tellus
Concutiente tremit, montes tangente ua-
porent,
Fumifera trepidum nebula teſtante pauo-
rem.
Hunc ego, dum uiuam,dū ſpiritus hos
reget artus
Vſq́. colam, tantum ille meas faciliſq́. bo-
nuſq́.
Accipiat uoces, nempè illo oblector in
uno,
At uerò impietas planè extirpetur ab ima,
Radice, & ſcelerum ſtirps nulla repullulet,
ac nos
Te rerum Deus alme Patrem,dominumq́.
canemus.

De motu

De Motu & Tempore. Cap. XX.

COelum, Angelos, Tempus, & materiam primam à Deo Opt. Max. ſimul creata fuiſſe vniuerſi Theologi atteſtātur; Cum igitur de Cœlo, & Angelis hucuſq. dixerimus, nunc de tempore, & ipſa materia diſſerendum eſt. Tempus in omnibus quidem eſſe uidetur, & in terra, & in mari, & in Cœlo, tēpus, & motus ſimul ſunt ſecundum potentiam, & ſecundum actum, auctore Philoſopho, quarto Phyſicorum tex. xxx. nam tēpus quamuis non ſit motus, non eſt tamē ſine motu, eſt enim tempus numerus motus ſecundum prius, & poſterius, non ergo tempus eſt motus, ſed ut motus ipſe numerum habet, nec tempus eſt, quod non poſſit appellari nunc, enimuero ſi non eſt tempus, non eſt nunc, quinimo ſi nō erit nūc,

non erit tempus, nunc autem ſemper exiſtens non habens prius, nec poſterius, eſt ipſa æternitas, uel ipſum æuum, Nunc uerò, quod & prius, & poſterius dicitur, eſt idem ſubiecto cum motu, ſed differt ratione, motus ſi quidem eſt actus entis in potentia, ſed prius, & poſterius contingunt motui ex ordine partium magnitudinis, nam prius, & poſterius ponuntur in diffinitione temporis, ut emanant ex motu in magnitudine, non ut menſurantur ex tempore, prius inquam in magnitudine quam in motu, & prius in motu quam in tempore; Quamobrem Coelum, motum, ac tēpus æternum, ingenitum, & infinitum atteſtatur Philoſophus, qua ſanè in re, hoc unum mihi Pataui i maximum negotium faceſſere ſolebat, ſi Coelum eſt æternum, motus eſt æternus, ſi motus æternus, tempus eſt æternum, & infinitum, ſi tempus eſt æternum, ſi infinitum, ergo pars eſt maior ſuo toto, conſequens eſt falſum, ergo & antecedens, nam futurum hodie eſt pars futuri heri, & maius, ergo pars eſt maior ſuo toto,

futurum

futurum hodie eſſe partem futuri heri optimè comprobatur ſi acceperimus nũc heri,quod ut Ariſt. inquit, & omnes aſsentiunt,eſt finis præteriti temporis,& principiũ futuri,ergo ſi uolumus amplecti omne tẽpus futurum, oportet accipere etiam heri, deinde hodie, cras, perendie, & ſequentes partes, & ita pateſcit futurum hodie eſſe partem futuri heri, uel futurum cras eſſe partem futuri hodie:Probo itaq. iam deductam conſequentiam,ſit futurum,uel præteritum tempus Cœli circulatione hodierna; A, ſit præteritum,uel futurum tempus circulatione craſtina,B,tunc ita ſyllogizare mihi liceat

Quocunq. tempore Præteritum, B,eſt maius,ita futurum,B,eſt maius,

Sed præterito,A, præteritum B, eſt maius,

Ergo præterito, A,futurum,B, eſt maius.

Subſummo

Sicut præterito A,futurum,B eſt maius, ita futuro A futurum B,eſt maius

Sed

Sed futurum B. eſt contentum à futuro A, uti pars,

Ergo pars eſt maior ſuo toto

Vel ita

A. Quocunq. tempore præteritum hodie eſt maius, etiam futurum hodie eſt maius,

B. Sed præterito heri præteritum hodie eſt maius,

Ergo præterito heri futurum hodie eſt maius.

Subſummo

Sicut præterito heri futurum hodie eſt maius, ſic futuro heri futurum hodie eſt maius,


Sed futurum hodie eſt pars futuri heri,

Ergo pars eſt maior toto.

Cui ſanè argumento occurrunt Philoſophi, & Theologi negantes conſequentiam, & ad probationem reſpondentes, quòd exceſſus, & additio non ſunt reſpectu alicuius actu exiſtentis in re, uel actu accepti per intellectum, aut imaginationem, quod non contingit in ipſo infinito, cum infinitum tempus, & præteritum nō ſit in re totum ſimul

mul,nec appræhendatur per intellectum ni ſi per partem poſt partem, Præterea nulla additio prædicta fit infinito præcedenti,ſed ſolum alicui finito,ſcilicet diei præcedenti diem, quæ additur. Vrget etiam Philoſophus,ut oſtendat Cœlum,motum,& tempus eſſe æternum, nam ſi dixerimus inquit ipſe Phyſicorum octauo,tex.xi.tempus, & Cœlum eſſe generatũ, dicemus etiã quòd priuſquam generaretur non erat, ſed hoc prius eſt tempus, ergo ante tempus per te generatum erit ſemper tempus,ſi uerò tempus eſt perpetuum, ergo & motus perpetuus,cum tempus ſit menſura ipſius, Quod ſanè *8* Phyſ. tex.x. obiicere uidetur Platoni,ſolus inquit Plato generat tempus,&in primo Cœli,*122*,oſtendit Cœlum eſſe ſempiternum,ingenerabile, & incorruptibile, dum entia diſtinguit, ſemper ens, ſemper non ens, non ſemper ens, non ſemper nõ ens.

Vni




Vni,& eidem non poteſt competere ſemper ens,& ſemper non ens,ſunt enim contraria, Quòd autem non eſt ſemper ens,nec ſemper non ens, erit profectò aut non ſemper ens aut non ſemper non ens, ergo corruptibile,uel generabile. Sed ingenerabile, & incorruptibile ſemper eſſe oportet, ut Coelum.

Probat etiam Cœlum ingenitum,& incorruptibile,

Genitum,

Genitum,&corruptibile conuertuntur, itē
ingenitum; & incorruptibile,
Genitum,& corruptibile eſt medium inter
ſemper ens, & ſemper non ens.



& quemadmodum genitum, & corruptibile ſe inuicem conſequuntur, ita ingenitum,& incorruptibile, ut latius apud Philoſophum primo Coeli, tex. 129. & ſequentibus. Quæ ſane omnia Peripatetica argu-

De motu perpetuo in inferioribus indagando. Cap. XXI.

COelum à Deo Optimo, Maximo tanquam à cauſa efficiente emanatum oſtendimus, proinde eius motum ſimpliciter perpetuum affirmant omnes Philoſophi, nec enim huiuſmodi habetur influxu, & refluxu maris, nec in fluuiis, nec in huiuſmodi aliis, quoniam hæc ſitum habent, & potius ſpetiem motus recti, nam ratio motus perpetui circularis in eo eſt, quod ſitum non habet, Enimuero quæ ſitum non habent principia ſunt, quæ trahunt, aut expellunt naturæ ſuæ proprietate, quemadmodum Herculeus lapis: Quare quidam nouiſſimus Auctor rectè arbitratus eſt uel hunc motum perpetuum in his inferioribus, in magnete inueniri, uel omnino non reperiri, & Mathematicā ante aculos ponimus demonſtrationem.

Acci



Accipiamus formam orbicularem ex argẽ to tenuiſſimam, ueluti capſulæ ſpeculi rotundi,& diuide eam in circuitu, & cuilibet diuiſioni applica acum ferream , & pone diſtantiam unius ab altera magnitudinis ci ceris,deinde in medio fige lapidem Herculeum,ſiue magnetem perfectiſſimum figura ouali,ita ut in ſummitatibus figuræ oualis poli adſint,Pone rotam ſuper axem , &



Ecce Dei gloriam hiſce carminibus re
lucentem.

Pſalm. 103. TE rerum Deus alme canam, domi
numq́., Patremq́.
Magne Parens, ſancta quàm maie
ſtate verendus?
AEteris æternas rector molliris habenas,
Te decor, auratis ambit te gloria pennis,
Et circumfuſum ueſtit pro tegmine lumē,
Tu

Tu tibi pro velo nitidi tentoria Cœli,
Et liquidas curuuo ſuſpendis fornice lymphas,
Et leuibus ventorum alis per inania vectus
Frenas ceu celeres volitantia nubila currus,
Apparent accinctæ auræ, flammæq. miniſtræ,
Vt iuſſa accipiant, ſtat nullo mobilis æuo
Terra, ſuper ſolidæ nitens ſundamina mollis
Pollenti ſtabilita manu. Terra obruta quōdam
Fluctibus, vt ſuſo ſuper ardua culmina uelo,
Sed ſimul increpuit tua uox, tronituq. tremendo
Inſonuere auræ, paulatim aſcendere montes
Cernere erat, ſenſimq. cauas ſub ſydere valles,
Inq. cauas ualles trepidas decurrere lymphas.

Omnipotens nullo regnet cum fine per æ-
uum
Maieſtas diuina, ſuumq́. in ſecula lætus
Seruet opus Deus, ille Deus, quo territa
tellus
Concutiente tremit, montes tangente ua-
porent,
Fumifera trepidum nebula teſtante pauo-
rem.
Hunc ego, dum uiuam, dũ ſpiritus hos
reget artus
Vſq́. colam, tantum ille meas faciliſq́. bo-
nuſq́.
Accipiat uoces, nempè illo oblector in
uno,
At uerò impietas planè extirpetur ab ima,
Radice, & ſcelerum ſtirps nulla repullulet,
ac nos
Te rerum Deus alme Patrem, dominumq́.
canemus.

De motu

De Motu. & Tempore. Cap. XX.

COelum, Angelos, Tempus, & materiam primam à Deo Opt. Max. ſimul creata fuiſſe vniuerſi Theologi atteſtãtur; Cum igitur de Cœlo, & Angelis hucuſq. dixerimus, nunc de tempore, & ipſa materia diſſerendum eſt. Tempus in omnibus quidemeſſe uidetur, & in terra, & in mari, & in Cœlo, tẽpus, & motus ſimul ſunt ſecundum potentiam, & ſecundum actum, auctore Philoſopho, quarto Phyſicorum tex. xxx. nam tẽpus quamuis non ſit motus, non eſt tamẽ ſine motu, eſt enim tempus numerus motus ſecundum prius, & poſterius, non ergo tempus eſt motus, ſed ut motus ipſe numerum habet, nec tempus eſt, quod non poſſit appellari nunc, enimuero ſi non eſt tempus, non eſt nunc, quinimo ſi nõ erit nũc,

non erit tempus, nunc autem ſemper exiſtens non habens prius, nec poſterius, eſt ipſa æternitas, uel ipſum æuum, Nunc uerò, quod & prius, & poſterius dicitur, eſt idem ſubiecto cum motu, ſed differt ratione, motus ſi quidem eſt actus entis in potentía, ſed prius, & poſterius contingunt motui ex ordine partium magnitudinis, nam prius, & poſterius ponuntur in diffinitione temporis, ut emanant ex motu in magnitudine, non ut menſurantur ex tempore, prius inquam in magnitudine quam in motu, & prius in motu quam in tempore; Quamobrem Coelum, motum, ac tēpus æternum, ingenitum, & infinitum atteſtatur Philoſophus, qua ſanè in re, hoc unum mihi Pataui maximum negotium faceſſere ſolebat, ſi Coelum eſt æternum, motus eſt æternus, ſi motus æternus, tempus eſt æternum, & infinitum, ſi tempus eſt æternum, ſi infinitum, ergo pars eſt maior ſuo toto, conſequens eſt falſum, ergo & antecedens, nam futurum hodie eſt pars futuri heri, & maius, ergo pars eſt maior ſuo toto,

futurum

ſuturum hodie eſſe partem ſuturi heri optimè comprobatur ſi acceperimus nūc heri, quod ut Ariſt. inquit, & omnes aſsentiunt, eſt finis præteriti temporis, & principiū ſuturi, ergo ſi uolumus amplecti omne tēpus futurum, oportet accipere etiam heri, deinde hodie, cras, perendie, & ſequentes partes, & ita pateſcit futurum hodie eſſe partem futuri heri, uel ſuturum cras eſſe partem futuri hodie: Probo itaq. iam deductam conſequentiam, ſit ſuturum, uel præteritum tempus Cœli circulatione hodierna; A, ſit præteritum, uel futurum tempus circulatione craſtina, B, tunc ita ſyllogizare mihi liceat

Quocunq. tempore Præteritum, B, eſt maius, ita futurum, B, eſt maius,

Sed præterito, A, præteritum B, eſt maius,

Ergo præterito, A, ſuturum, B, eſt maius.

Subſummo

Sicut præterito A, ſuturum, B eſt maius, ita ſuturo A ſuturum B, eſt maius

Sed

Sed futurum B.eſt contentum à futuro A, uti pars,

Ergo pars eſt maior ſuo toto

Vel ita

A. Quocunq. tempore præteritum hodie eſt maius, etiam futurum hodie eſt maius,

B. Sed præterito heri præteritum hodie eſt maius,

Ergo præterito heri futurum hodie eſt maius.

Subſummo

Sicut præterito heri futurum hodie eſt maius, ſic futuro heri futurum hodie eſt maius,


Sed futurum hodie eſt pars futuri heri,

Ergo pars eſt maior toto.

Cui ſanè argumento occurrunt Philoſophi, & Theologi negantes conſequentiam, & ad probationem reſpondentes, quòd exceſſus, & additio non ſunt reſpectu alicuius actu exiſtentis in re, uel actu accepti per intellectum, aut imaginationem, quod non contingit in ipſo infinito, cum infinitum tempus, & præteritum nō ſit in re totum ſimul

mul,nec appræhendatur per intellectum niſi per partem poſt partem, Præterea nulla additio prædicta fit infinito præcedenti,ſed ſolum alicui finito,ſcilicet diei præcedenti diem, quæ additur . Vrget etiam Philoſophus,ut oſtendat Cœlum,motum,& tempus eſſe æternum, nam ſi dixerimus inquit ipſe Phyſicorum octauo,tex.xi.tempus, & Cœlum eſſe generatū, dicemus etiā quòd priuſquam generaretur non erat, ſed hoc prius eſt tempus, ergo ante tempus per te generatum erit ſemper tempus,si uerò tempus eſt perpetuum, ergo & motus perpetuus cum tempus ſit menſura ipſius, Quod ſanè *8* Phyſ. tex x obiicere uidetur Platoni,ſolus inquit Plato generat tempus,&in primo Cœli,*122*,oſtendit Cœlum eſſe ſempiternum,ingenerabile, & incorruptibile, dum entia diſtinguit, ſemper ens, ſemper non ens; non ſemper ens, non ſemper nō ens.

Vni




Vni,& eidem non poteſt competere ſemper ens,& ſemper non ens,ſunt enim contraria, Quòd autem non eſt ſemper ens,nec ſemper non ens, erit profectò aut non ſemper ens aut non ſemper non ens, ergo corruptibile,uel generabile. Sed ingenerabile, & incorruptibile ſemper eſſe oportet, ut Coelum.

Probat etiam Cœlum ingenitum,& incorruptibile,

Genitum,

Genitum,& corruptibile conuertuntur, itē ingeuitum ; & incorruptibile,

Genitum,& corruptibile eſt medium inter ſemper ens, & ſemper non ens.



& quemadmodum genitum, & corruptibile ſe inuicem conſequuntur, ita ingenitum,& incorruptibile,ut latius apud Philoſophum primo Coeli,tex: *129*. & ſequentibus. Quæ ſanè omnia Peripatetica argu-

menta urgent profectò ſi ponamus mundum eſſe factum per generationem,& corruptionem, uel per ſe, uel per uoluntatem Dei: ſed nos cum Theologis dicimus quòd incoepit eſſe nòn per generationem quaſi à natura,ſed effluens ab ipſo rerum omniũ principio per creationem,quo quidem modo Deus omnia entia extra ſe uocaſſe dicitur,& ſic ponimus motum,& tempus nõ ſemper fuiſſe, proinde accipere poſſumus aliquod inſtans,uel aliquod indiuiſibile in motu,ante quod nullus fuit motus,identidem poſſumus aliquod nunc in tempore accipere,ante quod non fuit aliquod tempus,nam (ut ait D. Thomas Phyſ. *8*,contex: *13*) cum dicimus Principium temporis eſſe ante quod nihil eius eſt, non propterea oportet,quòd ipſum nunc,quod eſt principium temporis, præcedat tempus ſignificatum ea dictione (ante, uel prius,) ſed ſecundum imaginationem noſtram tãtum, Quare ſtatuimus unà cum Theologis aliquam durationem ante tempus,nempè Dei æternitatem,uel æuum ipſum,quæ

portò æternitas non habet extenſionem, nec prius, nec poſterius, ſicut tempus, ſed eſt tota ſimul, & æterogenea, non homogenea cum tempore; Quamobrem ſicut cū dicimus extra mundum non eſſe niſi Deū, non ponimus aliquam dimenſionem extra mūdum, ita cum affirmamus ante mūdum nihil fuiſſe, nōponimus aliquam ſucceſſiuam durationem ante mundum, & ſic nullum nunc, uel nullum inſtans temporis, ut abunde in ſuperioribus de Angelorum productione dictum fuit.

De motu perpetuo in inferioribus indagando. Cap. XXI.

Cœlum à Deo Optimo, Maximo tanquam à cauſa efficiente emanatum oſtendimus, proinde eius motum ſimpliciter perpetuum affirmant omnes Philoſophi, nec enim huiuſmodi habetur influxu, & refluxu maris, nec in fluuiis, nec in huiuſmodi aliis, quoniam hæc ſitum habent, & potius ſpetiem motus recti, nam ratio motus perpetui circularis in eo eſt, quod ſitum non habet, Enimuero quæ ſitum non habent principia ſunt, quæ trahunt, aut expellunt naturæ ſuæ proprietate, quemadmodum Herculeus lapis: Quare quidam nouisſimus Auctor rectè arbitratus eſt uel hunc motum perpetuum in his inferioribus, in magnete inueniri, uel omnino non reperiri, & Mathematicā ante aculos ponimus demonſtrationem.

Acci



Accipiamus, formam orbicularem ex argē to tenuiſſimam, ueluti capſulæ ſpeculi rotundi, & diuide eam in circuitu, & cuilibet diuiſioni applica acum ferream, & pone diſtantiam unius ab altera magnitudinis ciceris, deinde in medio fige lapidem Herculeum, ſiue magnetem perfectiſſimum figura ouali, ita ut in ſummitatibus figuræ oualis poli adſint, Pone rotam ſuper axem, &

& in

& in eius centro ſtilum argenteum, tanquã rotæ diametrum, axis autem & ſtilus immo bilis ſunto. rota uerò mobilis eſto, quod autem perpetuò moueri debeat ſic probatur, cum enim extrema lapidis ad ſe trahãt partes proximiores, & una dirigat ferrum ad boream, & alia ad auſtrum, fiet ut O deſcendat in P, & P, deſcendat in Q, & ſimiliter A in B, & B, in C, fertur enim ſic pars orientis ad Boream, & Occidentis ad Auſtrum quare ſe iuuabunt, & motus erit unus ex primo ſuppoſito; Et rurſus conſtitue alium lapidẽ, qui ad perpendiculum illi priori ſuperſtet, eademq. ratione, ac demõſtratione ad oſtendendum hunc motum eſſe perpetuum. Ego uerò cum ſæpe ſæpius Patauii plura legerim hac de re, & plura etiam expertus fuerim, non poſſum manus à calamo abſtinere, quinimo operepræ tium fore duxi, & dignum nobili ingenio ea patefacere omnia, quæ longè facilius, & euidentius poſſunt nobis magnetis perpetuum motum indicare: Quamobrem aio lapidem hunc eligi debere colore unigene

itate, pondere, ac uirtute inſignem, color erit ferreus, & liuidus, mixtus indico, ſiue Cœleſtino colore, ut uideatur ferrum politum ab aere corrupto infectum, talis à nautis afferri ſolet è regionibus ſeptemtrionalibus, ut putà, Nomardia, Picardia, Flandria; Huius lapidis ſubſtantia debet eſſe unigenea, nam ſi habuerit maculas rubiginoſas, & foramina parua, non erit tam admirandæ uirtutis; Ponderoſior etiam inueniri debet, nanq; eò melior, & prætioſior erit; Virtus effluet ex eo ut magni ponderis ferrum attrahere poſſit; Hic lapis naturali ſua uirtute inſequetur polos mundi, quemadmodum enim in Cœlo duo ſunt uertices, ita in hoc lapide oportet duo puncta experientia, & arte diligenter inuenire, quorum unum articum, alterum uerò Antarticum ſpectet & sēper naturaliter appetat, ut duo illa puncta ſint tanquam poli in ſphæra oppoſiti. Præterea ut Polum huius lapidis Septemrionalem dirigamus recta linea ad uerticem Cœli Septemtrionalem, & Meridionalem eiuſdem ad Cœli auſtralem, ſum-

mimus uas ligneum rotundum inſtar cyphi, uel Paropſydis, in quo ponimus magnetem, ita ut duo puncta eius ſint æquè diſtantia in limbo uaſis, & hoc uas in quo lapidem poſuimus nos diligẽter ponimus in altero uaſe aqua pleno, ut lapis in primo uaſe ſic ſe habeat ut Nauta in naui, Vas autem primum in ſecundo uaſe ſicut Nauis in flumine, uel mari fluctuans; erit ſecundum uas magnum, latum, & ſpatioſum, ne motus naturalis huius lapidis contactu primi uaſis ad limbum magni quouis modo impediatur, Hic .n. Herculeus lapis quaſi nandi peritus, uoluet ſuum primum uas quouſq. polus Septemtrionalis ſteterit è directo puncti ſeptemtrionalis Cœli, & Meridionalis è directo Meridionalis quod ſi millies inde amoueatur, millies eò inſtinctu naturæ ſuæ reuertetur, & ita facilè inueniemus, & ſignabimus Polos in lapide.

Deinde uerò hæc tãquam principia memorabilium effectuum nobis ſunt præcognoſcenda, partem nempe Septemtrionalem huius lapidis naturaliter appetere, &

attrahere

attrahere partē Meridionalē alterius magnetis, & meridionalē aduocare ſeptētrionalē & è conuerſo ſeptemtrionalem oppoſitā ſeptemtrionali, uel iuxta poſitam eundem propellere, & fugare ut lapis, quem manu geris, lapidem natantem in aqua fugare uideatur, ſic meridionalem alteram propellere, & fugare auſtralem, nam cum pars Septemtrionalis appetat meridionalem, nemini mirum uideri debet ſi partem ſeptemtrionalem fugare uideatur; Quinimo exempli gratia ſummamus lapidem unum, quē fingamus A, D, in quo lapide ſit A Septētrionale, D uerò meridionale punctum. & ipſum in duas partes diuidamus, ut fiant duo lapides ex eo, Deinde lapidem, qui A tenet aquæ exponemus, ut fluctuet. & uidebimus A uerti, & ſtare ad Septemtrionem, & ſic D ad Meridiem.

Ex his perſpicuum eſt ferrum attrhai à Magnete, & Magnete lenitum longè facilius attrahi, quare oportet partem ſeptemtrionalem feri ponere propè Meridionalem lapidis, eam ſi quidem naturali ſuo

motu inſequetur, & ex oppoſito partem meridionalem ferri obiicere ſeptemtriona li lapidis, &eam ſtatim ad ſe attrahet,quod ſi parti ſeptemtrionali ferri partem ſeptem trionalem lapidis porrexerimus ferrum à Magnete fugari,&propelli uidebimus,quo uſq́. tandem pars meridionalis eidem ferro coniungatur: Idem etiam euenire putan dum ſi Meridionalem ferri Meridionali la pidis oppoſuerimus.

Quæ quidem omnia ſi quis diligenter obſeruare uoluerit, facilè poterit cogno- ſcere perpetui motus demonſtrationem uir tute lapidis Herculei eſſe uerisſimam.

De prima

De Prima Materia. Cap. XXII.

MAteria etiam prima à ſupremo rerum omnium Initio unà cum Coelo, Angelis, & tempore uia creationis effluxit, eam tamē Peripateticorum Princeps non eſſe quid, non quale,non quantum , ſed omnia eſſe potentia,materiam in ſuper eſſe quod ultimum eſt per ſe,& primo, non quid, non quale,non quantum, nec aliud prædicamētum,nec horum entium priuationem,quoniam hæc in ſunt ei per accidens, ergo ſubiectum æternum in quo omnia tranſmutantur: Hæc ſanè materia in ſui prima notione ſecundum Themiſtium in aurea ſua digresſione, & ſecundum Scotum ponentem eam eſſe actum entitatiuum & ſecundum Auicennam,& alios, qui arbitrati ſūt eam habere formam corporis genericam

de prædicamento ſubſtantiæ,erit per ſe intelligibilis,& digna ut à Metaphiſico apri- mè inueſtigetur, In ſecunda uerò ſui notio ne iuxta ſententiam.D.Thomæ,& reliquo rum putantium eam eſſe potentiam ad for mas,non erit per ſe intelligibilis,ſed per at- tributionem ad formam ſecundum analo giam,& ita digna erit ut à naturali Philo- ſopho perquiratur: Hæc quidem in omni bus entibus trina illa dimenſione intermi nata,ſibiq́. coæterna perpetuo concomita ta apparet, ut materia diuiſibilis, & quaſi corpus eſſe uideatur,quamuis per ſe nec di- uiſibilis, nec corpus unquam dici posſit, Idcirco non poſſum non admirari Philo- ponum, & alios aduerſus Proclum his ar- gumentis comprobare tentaſſe materiam eſſe corpus.

Nam cum illud (inquiunt) circa quod entia naturalia tranſmutantur inuariabile, & intranſmutabile permaneat, & id ſit pri ma materia, & entia omnia circa corpus tranſmutantur, igitur materia erit corpus, Corpus nanq́ ſemper permanet, licet for-

ma,

ma,& quantitas mutetur:

Nos uerò dicimus quamuis entia tranſmutentur circa corpus,non Propterea probari materiam eſſe corpus, ſed huiuſmodi illis uidetur, quoniam habet trinam illam dimenſionem coæternam ſibi aggregatam.

Vrgent etiam ipſi, ſi materia ab omni magnitudine ſeparata, & indiuiſibilis eſſet,non poſſet utiq, in tot partes, quaſi infinitè ſecari,quemadmodnm ſecatur.

Identidē ſi quantitas,&ſubſtantialis forma diuiduntur ratione materiæ in ipſa materia conſiſtunt, igitur ſi materia ratione quantitatis diuiditur, in ipſa quantitate materia debet conſiſtere, ſed materia non modo non poteſt in alio conſiſtere, uerũ ipſa eſt ultimum cæterorum omnium ſubiectum,ergo non ratione quantitatis, ſed ratione ſui materia diuidi poteſt.

Nos uerò dicimus quòd materia huiuſmodi eſſe uidetut,non tamen principaliter, ſed ſecuudum quid, non in eo quod materia,ſed in eo quod ipſa quantitate trinæ dimenſionis

menſionis eſt affecta, cauſa dicitur diuiſibi litatis. Quamobrem qualitas, & ſubſtantia lis forma non ratione materiæ principaliter, ſed meritò quantitatis in materia diuiduntur: Et quamuis ex indiuiſibili non fiat diuiſibile, aut corpus, attamen materia, & forma, ex quibus cõſtituitur compoſitum, ſunt non per ſe, ſed per accidens diuiſibiles, & materiam non eſse corpus indè facilè colligi poteſt quòd proprium materiæ eſt pati, ac tranſmutari, cum ſit ſubiectum, ex quo fit aliquod, & pati, ac tranſmutari non eſt proprium quantitatis, ſed trina dimenſio eſt forma, eſt actus, igitur ei per sè agere competit, non pati: Præterea, Quantitas nõ eſt ſubſtantia, ſed trina dimenſio tam terminata, quàm interminata cum ſub eodẽ genere maneant, eſt per ſe quantitas, ergo non materia, nã ſi a ſubſtantia genere materiæ remouetur, ergo & à materia, à quo enim remouetur genus, ab eodem remouentur generis ſpecies, igitur non eſt dimen ſio hæc materia: Accedat diuiſibilitatem à quantitate tanquam à cauſa formali pro-

fluere,

ſluere,ergo materia per ſe non erit diuiſibilis,nec cauſa diuiſibilitatis, ſed meritò quātitatis.

Auicenna quoq. primam materiam habere formam corporis genericam de prædicamento ſubſtantiæ arbitratus eſt ea ratione, quòd omne accidens in ente in actu fundari debet,quare contemplabatur dari prius hanc primam materiam, tum interminatas quantitates, ac poſtremo formam ſpecificam de potentia materiæ eductam, cuius quidem ſententiam nonnulli ſecuti ſunt ea ratione nixi,quòd ſi nō daretur hæc forma generica ſubſtantialis ſequeretur formam ſubſtantialem ex nihilo ſui fieri, & ſic daretur creatio aduerſus Peripatheticorum principia: Quamobrem hanc Auicēnæ opinionem his mediis comprobare conantur.

Primum, ſi materia habet formam recipere,debet prius diſponi, actus enim actiuorum fiunt in patiente benè diſpoſito,ſed materia de ſe formam appetere nō poteſt, neq́. ad formam ſpecificam recipiendam

eſt

eſt habilis,niſi aliqua detur forma diminuta,quæ materiam ad hæc munera obeunda diſponat, oportet igitur hanc formam corporis genericam in prima materia dari, ut eius ratione materia ad formam ſpecificam recipiendam apta reddatur.

Deinde , mixtum differt ab elemento , quoniam mixta in partem per ſe motam, & in partem per ſe mouentem diuiduntur, at elementa ita diuidi non poſſunt,quoniã pars per ſe mouens eſt forma, altera autem pars eſt prima materia, quæ nullo modo, cum ſit pura potentia,pars per ſe mota unquam poterit eſſe, & quia pars per ſe mota,quæ eſt corpus,realiter à forma mouente diſtinguitur,ergo ultra formam mouentem danda eſt forma una,per quam corpus ſit corpus,& cuius ratione corpus poſſit eſſe pars per ſe mota, & hæc erit forma ſubſtantialis generica in materia prima , quæ interminatas quantitates,& formam ſpecificam præcedat.

Inſuper , ut hanc eandem conſequentiam rectè deduci oſtendant , ſi non datur

hæc forma corporis, ergo tollitur generatio; Hoc inquam conſequens, ut recte probari posſit, aſſumunt ſibi primo alterationem neceſſariò præcedere generationem, deinde ſubiectum motus eſſe ens in actu, quare conſequentia ita probatur, Alteratio præcedit generationem, ergo cum ſit accidens habebit fundamenta ſua iacta in ente in actu, exempli gratia, ſi aer debet ex igne generari, hanc profectò aeris ex igne generationem oportebit ab alteratione præcedi, ſed age amabo in quo nam fundabitur hæc alteratio? Non in materia, cum ſit pura potentia, non in materia per formã corrumpendam, cum hæc continuò corrumpatur, alterationem autem in aliquo, quod firmum ſit fundari opus eſt, ergo alteratio hæc in materia aliqua, quæ non corrumpatur forma informata fundari debet, ſed iſta forma nulla alia profectò eſſe poterit, quàm forma generica ſubſtantialis præcedens in materia prima interminatas illas quantitates.

Deniq. argumentationem deducunt ab

Auerrois fundamento illo,quo ait, ſi mate ria denudaretur ab omni forma , tunc aliã recipere formam minimè poſſet, materia continuò nouas induit formas,& quotidie ab aliis denudatur, ergo ſi denudaretur ab iſta forma ; materia etiam de mente Auerrois aliam non reciperet formam:Accedat quòd habitus,&priuatio ſunt in eodem genere, ſed forma particularis dicitur habitus,& in genere ſubſtantiæ reperitur , ergo &priuatio erit in genere ſubſtantiæ,ſed hæc priuatio nec compoſitum, nec materia eſſe poteſt,ergo priuatio erit iſta forma corporis de prædicamento ſubſtantiæ,quæ priuatio nuncupatur eò quòd eſt imperfecta.

Petipathetici uerò longè diſſentiunt,nec ullam formam corporis admittunt in materia prima , nam ſi hæc forma daretur in materia naturalis Philoſophus non poſſet ad eius eſſentiam, uel quiditatem peruenire ſed tantum ad hanc formam corporis genericam , Verum enimuerò naturalem patet Philoſophum per tranſmutationem penetrare,& attingere materiam ipſam , nã

ſi hæc

ſi hæc forma generica ſubſtantialis eſt materiæ coæterna, ergo non tranſmutabilis, ergo deficiet medium, uel uehiculum, quo Philoſophus tendit ad intimam primamq́. materiam, nam cum Philoſophus naturalis in huius corporis cognitionem deueniſſet, ulterius pertranſire, & cognoſcere quiditatem, atq́. eſſentiam materiæ minimè poſſet.

Præterea, materia non eſt quid, non quale, non quantum, nullam claudit formam, ſiue priuationem, quæ huiuſmodi ob imperfectionem dicatur (ut ſuperius dictum eſt) ergo non erit forma corporis generica.

Demum nè caſu dari fateantur huiuſmodi formam corporis genericam, oportet fateri eam dari uel propter euitandam creationem, uel propter interminatas quantitates, vel propter aptitudinem materiæ, & formam particularem, ſed nullo horũ modo, ſiue merito admittenda eſt, ergo non dabitur hæc forma corporis generica, id quod à ſufficienti partium enumeratione demonſtrari poteſt, Neq́. enim oportet hu

iuſmodi formam genericam dari propter euitandam creationem,nam ſufficit materia ut creatio euitetur, generatio enim materiam ſupponit, creatio autem minimè; Nec propter interminatas quantitates danda erit,quippe cum non eadem ſit terminatarum, & interminatarum quantitatum diſpoſitio quandoquidem interminatæ quātitates in ente potentia, terminatæ uerò in ente in actu ſua iacta poſſideant fundamēta: Nec propter materiæ aptitudinem, aut formam particularem erit hæc forma corporis ponenda,nam cauſa huius aptitudinis eſt priuatio,quæ priuatio hæc forma dici non poteſt,cum hæc ſit ſubſtātia, illa uerò accidens,& per ſe non ens, ergo fruſtra dabitur hæc forma in materia,ſed Deus,& natura nihil agunt fruſtra.

Ex his clarè patet omnia Philoponi, & aliorum argumenta corruere. Nam ad primum illud principale uerum eſſe fatemur materiam appetere formam ratione priuationis, quòd uerò hæc priuatio ſit forma iſta generica,hoc apertè negamus, nec ab

eis probatum fuit.

Pariter ad rationem deductam à mixtis dicimus eam non concludere, quandoquidem elementa in mixtis formaliter remanere uideamus, & admittimus etiam corpus ipſum, quod eſt illa pars per ſe mota, unam habere formam, per quam eſt corpus, & illam formam eſſe elementariã, & non hanc genericam de prædicamento ſubſtantiæ, quam ipſi magis ſubtiliter, quã uerè ſibi fingunt.

Et quando aiunt alterationem in actu per formam corrumpeudam minimè fundari poſſe, quandoquidem continuè forma hæc corrumpatur, & ad non eſſe tendit, nos hæc negamus, dicẽres formam ſubſtantialem nunquam corrumpi, priuſquã materia non ſit omnino ad formam recipiendam diſpoſita, exemplum patet in his qui lætali tabe laborant, quorum corpora licet continuè extenuentur, ut nihil eis reliquum ſit niſi pellis; & oſſa, eorum tamen anima nullam uim, nullamue diminutionem patitur: Idem etiam elucet in his, qui

ſenio

ſenio ſunt confecti, quorum naturalis ca-
lor, & radicale humidum quamuis conti-
nuò diſſoluatur,& conſummatur , forma
tamen ſubſtantialis, nempè anima ipſa mi
nimè conſummitur, ſed perfecta , & inte-
gra uſq. ad introductionem cadaueris , &
quouſq. tandem calidum illud,& humidũ
innatum naturale poenitus in frigidum, &
ſiccum,quibus cadauer conſtituitur, ſem-
per remanet, Quare cum alteratio genera-
tionem præcedens in actu per formã cor-
rumpendam fundetur , non erit neceſſe ob
hanc cauſam formam iſtam corporis gene
ricam ſtatui.

¶ Nec officit quòd ſi materia ab omni for
ma denudaretur, nullã poſſet amplius for-
mam recipere, namq́. Auerroes de omni
forma particulari , & ſpecifica locutus eſt,
quòd si ab omni forma denudata mane-
ret materia,non poſſet amplius aliam reci-
pere,cum materia,ut materia eſt , in pura
potentia ſit,& alterari minimè poſſit cum
ſubiectum alterationis actu conſiſtat,& ita
de formis particularibus,eſt locutus , non

autem de illa generica: Nec obeſt priuationem in eodem genere cum habitu dari, quoniam priuatio formaliter nunquam in eodem genere cum habitu reperietur, ſed reductiuè ſolummodo, dico non ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Hæc igitur ea ſunt quatuor, quæ Peripathetici facta quidem ſed æterna, à nullo genere cauſæ efficientis orta, Quæq. Theologi à primo rerũ omnium principio creata atteſtantur, Quam ſanè Theologicam ſententiam Peripatheticæ præferrendam fore ſemper ego duxi, nam ſi Cœlum eſt factum, eſt quantum, & à polo ad polum extenſum, quod nemo certè inficias ire poterit, clarè patet non à ſe, ſed ab alio factum, ſi ab alio proculdubio non ab alio, quàm à Deo, ut potè cum uirtutem, ac motum ſucceſsiuè ab ipſo infinitum ſuſcipiat: ſi factum porrò non medio generationis, eſſet enim generabile & corruptibile, ergo creationis munere productum, Hæc inquã ea sũt, quæ Sacroſanctos Theologos ſequuti nos enixè quærebamus.

Iam

FRANCISCI CONTARENI

Thadæi Patritij Veneti Filij,

PHILOSOPHIAE I. V. ET SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS.

DE DEO ET DE HIS, QVAE EFFLVXERVNT A DEO.

Liber Tertius.

DeHomine, & Hominis ſtatu. Cap. Primum.

1. Ius *hominum cauſa à Deo, à natura, à legislatore conſtitutum.*
2. *Homini Cœleſtia, & terreſtria debentur.*
3. *Iuſtitia punit etiam Regum peccata.*
4. *Ius vel ad perſonas, vel ad res, vel ad actiones pertinet.*

5. *Hominis origo quaſecundum Poetam.*
6. *Humanum genus quemadmodum à lege æterna deſcendat.*
7. *Eua cur fuerit ex Adami coſta deducta.*
8. *Hominum genera tria de iure ciuili.*
9. *Poſthumorum ſpeties Quatuor.*
10. *Poſthumorum Galli Aquilii formula.*
11. *Hominum diuiſio, ante partum, in partu, poſt partum.*
12. *Infans exiens ex vtero materna ſemiuiuus an dicatur hæres.*
13. *Partus legitimi qui ſint ad capeſſendam hæreditatem.*
14. *Partus ſeptimi menſis, et aliorum qua ratione aſtrologica ſint legitimi.*
15. *Partum menſis undecimi ſolus Ariſt. admittit.*
16. *Partus undecimi menſis iudicia contraria Juſtiniani, & Adriani ab auctore conciliantur.*
17. *Poſthumum pro nato non haberi.*
18. *Lex talionis à Moyſe lata.*
19. *Partum animatum, ſeu ſpem animati fœtus occidens qua pœna plectendus.*

20. Poſt-

20. Poſthumum haberi pro nato.
21. Poſthumi quando habeantur pro natis, & quando minimè.
22. Partus varia tempora diſtinguuntur.
23. Partus, uel homo quot diebus generetur, et naſcatur ex Auicenna ſententia.

IN primo, & ſecundo libro ſatis abundanter, & copioſè de Entibus à Deo productis ſermonem habuimus, nunc verò de lege humana quemadmodum à Diuina deſcēdat loquentes prius de homine, deq; hominum ſtatu, deq. rebus, ac tùm demum de humanis legibus nobis dicendum cenſuimus, tum quia homo nobilitate cæteris animantibus præſtat, & tum quod ius ipſum hominis cā à Deo, à natura, à legislatore conſtitutum eſſe perſpicitur, ut ius dicatur id, quod omnib⁹ naturalis ratio præſcribit, & propterea ſibi tanquam medio in 1.

ter mortalia, & immortalia ſtabilito non
2. modo Terreſtria, uerùm etiam Cœleſtia;
iure optimo debentur: Cœleſtia Dei Oracu
lo ſibi præſcripta, uenite poſſidete Regnũ
paratum uobis ante mundi conſtitutio-
nem, Terreſtria verò; Fortunæ bona, hære
ditates, bonorumq. poſſeſſiones eidem à
lege delatæ leguntur, ut nihil magis homi
ni proprium cõuenire uideatur, quàm ius,
& iuſtitia ipſa, qua tum Populi, tum Reges
ad honeſtum, iuſtumq. adſtringuntur, ut
nullum ſit hominum, quinimo Regum fa
cinus impunitum, quorum ſcelera etiam
in populis, qui nihil deliquerunt ipſa ſolet
3. uindicare, ut eleganter cecinit Hæſiodus.

Iuſtitia eſt virgo Ioue nata, verẽdaq; Diuis
Omnibus, hãc ſi quis læſit de plebe parẽtem
Orat; ut auctorem ſceleris ſua pœna ſequatur
Sin Rex peccarit Populi ut plectãtur & ipſi
Poſtulat, iniuſti tanta eſt iniuria Regis.

4. Quamobrem Caius in l. pri. ff. de ſtat. ho
min. dicebat, Omne ius quo utimur uel ad

perſonas

perſonas pertinet, uel ad res , uel ad actiones,nullum enim ius eſt,quod non aut de homine,aut de rebus hominis, aut de his quæ homines faciunt,& dicunt, conſtitutum ſit,alii uerò actiones intelligunt forẽſes, Aelianas,Flauianas,Iuſtinianas ,& Hermogenes in l. 2. ff.de ſtat.hom.cum igitur hominum cauſa omne ius ſit inſtitutum, primo de ſtatu perſonarũ,ac poſt de cæteris,ordinem edicti perpetui ſequuti ,& his proximos atq. coniunctos applicantes titulos (ut res patitur) dicemus, Hinc Paulus, qui in utero eſt perinde eſt, ac ſi in rebus humanis eſſet, quoties de commodis ipſius partus quæritur,quanquam alii antequam naſcatur nequaquam proſit: Hinc Iulianus, qui in uterò ſunt in toto poenè iuri ciuili intelliguntur in rerũ natura eſſe.

Quare iam ad uarios hominum ſtatus deſcendamus,ac primo ad hominis originẽ; 5. Poetæ genus hominum à Deucalione, & Pyra Themidis oraculo petito poſt diluuiũ reparatum ferunt,

Quo tempore primum
Deucalion lapides uacuũ iactauit in orbem.

6. Nos uerò poetarum fabulis neglectis, & uenerandos Theologos ſequuti hominis primũ originẽ à lege diuina ità deducim⁹, ut uirorũ omnium primũ Adam ex luto terræ, & Euam ex eius coſta à rerum omnium glorioſo opifice quando Cœli creati ſunt deductam fuiſſe profitemur, & utrumq. noſtrorum omniũ primos ac dulcisſimos parentes agnoſcimus, eoſdẽ prius terreſtrem Delitiarum paradiſum inocentiæ tempore inhabitaſſe, & inde pomo contra diuina præcepta deguſtato è paradiſo deiectos per uniuerſum terrarũ, & miſeriarum orbem, per tot dolores, & mortis diſcrimina peragraſſe, & quis eſt chriſtianus qui auſit inficias ire? ex coſta igitur Adami Euam deductam aſſerunt c. fraternitatis.
7. 35. q. x. c. gaudemus, de diuortiis, ut eſſet duo in carne una, ut filius patrem, & matrem relinqueret, & adhæreret uxori, ex co-

ſta

ſta igitur, uel latere Adami Euã Enatã profi tentur Theologi non autem ex capite, ne uxor uiro ſuperior eſſet, non ex pede, ne eſſet ei pediſequa, ſerua, uel inferior, ſed ex latere propè cor, ut ambo eſſet ſocii diuinæ, ac humanæ domus; ac ſe q̃ maximè diligerent, primæ nuptiæ in paradiſo, aliæ extra celebratæ feruntur: Ex his uaria temporum ſucceſſione diuerſus factus eſt hominum ſtatus, qui maximè à Iurecõſultis ſuis legibus celebratur, à iure ſi quidem naturali, gentium, & ciuili facta eſt illa hominũ diuiſio; nam cùm antea iure naturali uno cõmuni nomine omnes homines appellarentur, ſecuta ſeruitute tria hominum genera eſſe coeperunt, liberi, his contrarium ſerui, tertium genus libertini, ut aſſerit Vlpianus in l. manumisſiones ff. de iuſt. & iu. & Caius in l. 3. ff. de ſtat. hom. quæ quidẽ hominum genera uniuerſum ius ciuile circumire uidetur, at nos ſecundos etiam perſonarum ſtatus, ſiue diuiſiones diligenter quærendas eſſe putamus, alii namq. uiuis parentibus enaſcuntur, alii uerò poſt eorũ 8.

mortem

mortem è grauida uxore prodeũt, qui poſt
humi nuncupati ſunt, poſthumorum uerò
9. quatuor referuntur ſpecies, prima poſthu-
mi ſui, ut ſi poſt mortem patris teſtatoris
naſcatur filius ex iam grauida uxore, hic
uerè poſthumus, & ſuus eſt, quia oritur in
primo gradu ſuorum, futurus etiam in po
teſtate (ſi uiueret) patris ſui; ſecunda nepo-
tum, qui naſcuntur ex filio, nam ſi interim
mortuo patre naſcantur, auo generantur, &
in eius (ſi uiueret) poteſtate, patriſq. locum
obtinerent in ſuccesſione, ſi uerò naſcãtur
uiuo patre, non ſunt ſui, ut in primò gradu,
primaq. ſpetie, ſed ſui in ſecundo, ſequenti-
ue gradu, proinde rectè de iis dubitari po-
tuit, ſint ne ſui an alieni & an ſpectandũ ſit
tempus teſtamenti, an uerò natiuitatis, nam
ſi tabullárum tempore oriuntur non ſui
enaſcuntur, quia Páter gradu eos præcedit,
poſſunt nihilominus oriri ſui, ſi eorum pa-
rens prius decesſiſſet, de his locutus eſt Gal
10 lus in l. Gallus ff. de lib. & poſthu Si filius
,, meus uiuo me moriatur, tunc ſi quis mihi
,, ex eo nepos, ſiue quæ neptis, poſt mortẽ
meam

„ meam in x. menſibus proximis, quibus fi-
„ lius meus morietur; natus nataue erit; hæredes ſunto. Tertia erit alieni poſthumi, qui ex filio emancipato genitus eſt, Quarta uerò eſt nepotis ex patre, ut ab omnibus ferè, paſſim refertur in tit. de hæred. qualit. & diff. in l. Gallus ff de lib. & poſthu. & in l. penul. ff. de legat. primo. Præterea tertia ſtatus humani diuiſio nobis indaganda eſt ante partum, in partu, poſt partum, ante partum perpenduntur hi, qui in utero ſunt, & leges ad eorum utilitatem latæ, hi uerò uariè conſiderantur, uel enim à tempore ſuſcepti ſeminis, uel conceptionis, uel demũ animati fœtus à legibus ſpectantur, In partu inquam conſiderantur dum quærũt Iuriſconſ. an ſi infans exiens ex utero materna uſq adumbilicum ſemiuiuus uagitu, & ploratu, mouerit aer, & ab obſtetrice manus, ac digitos aqua benedicta ſuffuſa capite baptizatus fuerit. & in lucem moribundus, quinimo iamiam mortuus exierit, an iure ciuili dicatur hæres, an tranſmittat hæreditatem ad alios, an ei ſubſtitutus ſucce-

ante partum, in partu, poſt partum, ante 11

tu inquam conſiderantur dum quærũt Iu- 12

Ss dere

dere posſit,an rumpat teſtamentum, qua de re egregia,& memorabilis corruſcat Iuſtinianea ſanctio in l. 3. C. de poſthu. hæred qua priſcorum diſſidium poenitus diſſoluitur, emiſerit ne uocem, uagitumue
13 puer ille,an uerò elinguis expirauerit, poſt partum uerò quærunt Iuriſconſulti quonã menſe quis natus ſit,ut ei hæreditas,bonorumuè poſſesſio deferri posſit, celebrant
14 Iuriſconſ. ſeptimum,nonum,& decimum menſem, Ego altius ſpeculatus rationem quærebam an quia ſeptimus menſis ſeptimam ſignificat domum,uelCoeli manſionem,ſecundum iudiciaria Aſtrologiæ ſchemata,uel ſolem in ſeptima domo,qui tunc oppoſitis radiis illuminat horoſcopum, ſiue aſcendens, Sextus nullos emittit radios ad horoſcopum,quod infortunii genus accidit etiam viii. menſi,uel domui, Nonus uerò aſpicit aſcendens trigonis,decimus uerò tetragonis radiationibus, hac de cauſa hi menſes recepti fuerunt à legislatore, & cæteri neglecti, quoniam uerò undecimus locus, ſiue menſis ſextili radiatione reſpicit

cit aſcendens,exiſtimauit Ariſtot.ſolus mē
ſe undecimo poſſe generari hominē,quod
tamen à legislatoribus non eſt receptum,
ut potè cum aut nunquàm,aut raro hi in- 15
ueniantur partus . Huc pertinet iuditium il
lud celebre Iuſtiniani in nouella de reſti-
tutione,& ea quæ parit in xi. menſe , qua
eam mulierem damnauit, quæ undecimo
poſt mortem uiri mēſe pepererat,quod iu-
ditium iuri ueteri maximè conſentaneum
fuit,unde mirum eſt Alciatum paradoxo-
rum tertio,cap.xvi. iniuſtitiæ , ac iniquita- 16
tis arguere Iuſtinianum , uerum Alciatus
non ſuo iure,ſed Philoſophorum,&medi-
corum auctoritate, quinimo Imperiali A-
driani Imperatoris decreto,quod apud Au
lumGellium noctium Atticarum,libro ter
tio,cap.xvi. relatum eſt , ſummopere niti-
tur: Ego uerò Vndecimum mēſem à mor
te uiri ideo in iure ciuili reiectum fuiſſe exi
ſtima,quòd raro pariant eo menſe mulie
res & leges oportuit ad frequentiora adap
tari l.non ad ea.ff. de legibus & tempus a-
liquod ſtatuere,opus fuit,addo legem, quæ

uetabat, nè poſt mortem uiri uxores ſtatim renuberent, ſed uiros per annum lugerent, quo fit ut periculum commixtionis ſeminis, & ſanguinis utriuſque uiri, primi nempè, & ſecundi emineat, hiſce de cauſis motus legiſlator Iuſtinianus legē tulit de muliere quæ peperit undecimo menſe à morte uiri, non ſimpliciter, ſed in eo tantum caſu, ut non eſſet poſſibile dicere filium natum eſſe partum, uel filium primi uiri, quia peperit undecimo menſe perfecto circa terminum, ſiue finem anni, quo caſu certi ſumus tempus conceptionis non poſſe ad tā longum tempus extendi, mulieres enim pariunt ſeptimo, nono, decimo, uel undecimo menſe, ſed non undecimo perfecto, ut clarè itidem loquitur in § mulier & clarius reperit in §. ultimo: Vnde ſancimus (inquit) ſi quid tale contigerit, & ante luctus tempus pepererit mulier circa terminum anni, ut indubitatum ſit ſobolem nō ex priori conſiſtere matrimonio, modis omnibus eam priuari ante nuptiali donatione, & ſecundum proprietatem, & ſecundum

dum

dum uſum, ſubdendamque aliis omni-
bus pænis, ac ſi ſecundas extra contigiſſet
ante luctus tempus legitimas celebraſſe nu
ptias: ſed quia prior ſtatus antequàm ho-
mo in hunc mundum naſcatur tempore,
ac ratione præcedit, de hoc prius aliqua ſu
perſunt agenda, & à legibus exhaurienda,
nam hominem tunc pro nato non haberi
plura indicāt iura, primo enim poſthumus
in utero non rumpit teſtamentum pater- 17
num, ſed ubi in lucem prodiit, ergo dum
eſt in utero non habetur pro nato l. i. in fi.
ff. de iniuſt. rup. & irri. teſt. & Inſtit. de exhæ
redat. liber. in principio; deinde poſthu-
mus alienus, qui in utero eius eſt, quæ non
poteſt eſſe uxor inſtitui minimè poteſt, §.
poſthumi inſtit. de legat. item lex illa Moy
ſis iubet, quæ habetur in cap. quod uerò,
& in cap. Moyſes xxxii. q. ii. Si quis mulie-
rem grauidam occiderit, & infantem in ute 18
ro animatum peremerit, dabit animā pro
anima, ut lege talionis, dentem pro dente,
manum pro manu pedem pro pede, ocu-
lum pro oculo dare oportet, ſin uerò ſpem

futuri

ſuturi animalis interciderit poena pecunia ria plectitur: Accedat lex illa Regia Romuli in l. negat lex Regia ff. de mort. infer. negat lex Regia ne quis grauidam mulierem defunctam ſepeliat, negat lex mulierem, quæ pregnans ſit humari ãtequam partus ei excidatur, qui contra feciſſet ſpem animã

19 tis cum grauida peremiſſe uidetur, ſi ſpem animati, ergo non animatum, ergo qui eſt in utero non habetur perinde ac ſi natus eſſet, His fauet Accurſius in glo. in l. Diuus ff. de extraord. crimi; qui fœtum in utero matris quadragiñta diebus animatum fieri perhibet: Præterea Vlpianus in l. prima ff. unde cogn. §. ſi quis proximior, ſi quis, inquit, proximior cognatus naſci ſperetur in ea conditione eſt, ut dici debeat obſtare cũ ſequentibus, ſed ubi natus non eſt admittimus eum, qui poſt uentrem proximus uidebatur, ſed hoc ita demum eſſet accipiendum, ſi hic, qui in utero eſſe dicetur uiuo eo, de cuius bonorum poſſeſſione agitur, fuerit conceptus, nam ſi poſt mortem neq. obſtabit alii, neq. ipſe admittetur quia non

fuerit

fuerit proximus cognatus ei, quo uiuo nõ dum animal fuerit, quod etiam comprobatur in l.prima .§. ſciendum & in l.titius.ff. de ſuis,& legitimis, ut ſuus ita demum ſuccedat ſi tempore mortis is cui ſuccedere debet uel in rebus humanis fuerit, uel ſaltẽ conceptus , inſuper in contractibus qui in utero ſunt non habentur pro natis , nec in demenda lege falcidia , nec in excuſationibus tutellarum.l ſi pregnans, l. uacæ, ff. de euiction. l. in lege falcidia.ff. ad l. falcid. l. prima §. non ſolum, ff. de excuſat. tut. & quoniam fieri nõ admodum rarò poterat, ut tergemini naſcerentur, quartam partem ſuperſtiti filio prætores aſsignauerunt , & poſthumorum portiones ſuſpenſas retinuerunt,ut teſtatur Paul in l antiqui. ff. ſi pars hered petat: E conuerſò autem poſthumũ haberi pro nato affirmant Paulus,& Iulianus in titulo de ſtat. homin. & in l. quod dicimus,de uerb ſignificat. Quod dicimus eum qui naſci ſperatur pro ſuperſtite haberi,tunc uerum eſt cum de ipſius iure agitur, alii autem non prodeſt niſi natus ſit , & in

l.ſi quis pregãtem, ff. de reg. iur. Celſus ait, ſi quis pregnantem uxorem reliquit non dicitur ſine liberis deceſſiſſe qua de re in recõ-
21 ciliandis his legibus Iuriſcõſulti diſtinguere ſolent; uel de materia fauorabili agitur, uel de odioſa, uel de eorum commodo, uel incõmodo, primo caſu habentur poſthumi pro iam natis, ſecundo caſu minimè: uel ſecuti Alciatum in l. gallus ff de liber. & poſthum & Cenſorinum de die natal. uaria poſſumus enaſcentis filii tempora di-
22 ſtinguere, ſuſcepri ſcilicet humani ſeminis, concepti filii, animati foetus, ſiue filii, & natiuitatis, primis enim ſex diebus ſuſcepti ſeminis incepit ſemen corrumpi donec fiat homo, nam ſol, & homo auctore philoſopho generant hominem, xv. diebus fiunt lineæ, & apparet ſanguis, diebus 27. fit caro, & caput ſecernitur, & fruſta, xl. uerò diebus fœtus fit animatus, mouetur, pulſatq. pedibus cauernas uteri maternæ diebus lxx. enaſcitur uerò ccx. die, hoc eſt menſe
23 ſeptimo, ut ſenſit Accurſ. in l. diuus, ff. de extra: crimin. teſtatur Hypocrates in l. 7. menſe

menſe ff. de ſtat. homin. & cenſorimus eleganter de diȩ Natali, & longè clariùs Auicenna: idcirco concludentes dicimus quãdoque vnum, aliquando alterum à legislatore inſpici tempus, ecce .n. quando agitur de commodo eius, qui in vtero eſt, ſpectatur etiam tempus ſumpti ſeminis, vt in l. qui in vtero, & in l. imperator 2. ff. de ſtat. hom. in hæreditatibus tempus conceptionis, vel partus animati ſpectandum eſt l. titius, l. 1. ſ. ſciendum ff. de ſuis, & legit. in homicidio tempus animati fœtus, vt animam pro anima det, vel tempus præcedẽs animam, vt minùs plectatur, ſi ſpeciẽ tantum animati interemerit, dicto cap. Moyſes dicta l. negat lex Regia, ſic in hæreditate, in bonorum poſſeſſione, & in collatione tempus inſpici natiuitatis paſſim in iure ciuili intuemur.

De Rerum Dominio, vſucapione, & præſcriptione.
Cap. Secundum.

1. *Rerum dominia, & diuiſionem, vſucapionem, & præſcriptionem, à lege æterna emanare quæ commune probetur.*
2. *Duo humanæ vitæ ſtatus vnus innocentiæ alter naturæ deprauatæ.*
3. *Antea omnia erãt communia, poſtea iure gentium facta fuit diuiſio.*
4. *Diuiſio inter Abram, & Loth.*
5. *Dominia rerum traditionibus, et vſucapionibus dominia rerum transferuntur.*
6. *Difert vſucapio à præſcriptione.*
7. *Vſucapionis diffinitio.*
8. *Vſucapio & proſcriptio num proueniant à lege æterna cum rapiant aliena.*
9. *Vſucapio, et præſcriptio à minimo temporis*

poris momento per varia temporum curicula. Efluere oſtendit.

10. *Præſcriptio horarum viginti.*

11. *Præſcriptio vnius diei.*

12. *Præſcriptio duorum dierum.*

13. *Trium dierum.*

14. *Decem dierum.*

15. *Sexaginta dierum.*

16. *Centum dierum.*

17. *Præſcriptiones menſtrua ſeptimi, ottaui, & noni Menſis.*

18. *Præſcriptio annua.*

19. *Duorum annorum.*

20. *Trieniÿ.*

21. *Quinqueniÿ.*

22. *Deceniÿ.*

23. *Viceniÿ.*

24. *Triginta vel quadraginta annorum.*

25. *Quinquaginta annorum.*

26. *Centum annorum, & perpetua.*

1 RErum quoq. dominia, & diuiſionem, quinimo uſucapionem, ac præſcriptionē à lege æterna emanaſſe nemo eſt, qui inficias ire poſſit, cum apud Moyſen Geneſeos.i.Dei oraculo editum ſit, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & uolatilibus Cœli, & apud Regium Prophetam Pſalm. viii. Minuiſti eum paulominus ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum, & conſtituiſti, eum ſuper opera manuum tuarum, Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues, & boues uniuerſas, inſuper & pecora campi; Volucris Cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris; Qua in re nos;
2 oportet duos humanæ uitæ ſtatus contēplari, Vnum innocentiæ, Alterum corruptæ naturæ, nam in primo omnia comunia fuere, enimuerò innocentiæ concors erat rerum omnium poſſeſſio, ut potè cum

terra

terra ipſa uel inculta ſua ſponte fructus ferebat,uel tam parua cultura indigebat, ut nemo eam obeundam recuſaſſet, Qua de re manifeſtisſima ſunt diuina oracula:Tullit eum Dominus, & poſuit eum in Paradiſo uoluptatum , ut cuſtodiret illum , &. Ouidii carmina undecunq. inter Poetas decantantur.

Ipſa quoq; immunis , raſtroq; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus,
Contentiq; cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanaq; fraga legebant.

In ſecundo uerò iam corruptæ humanæ naturæ ſtatu horribilis exaudita eſt vox Illa diuina,& in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, quod etiam relatum eſt in cap. Dilectiſſimi xii quæſt. prima, vſus oĩum, quæ ſunt in hoc mundo communis eſſe 3
omnibus hominibus debuit, ſed per iniquitatẽ alius hoc dixit eſſe ſuum,alins iſtud,

&

& ſic inter mortales facta eſt diuiſio,& gloſ
ſa ibidem iniquitatem rectè ius gentium ap
pellat, ſi ad naturæ deprauatæ initia aciem
dirigamus,& Chriſtus met ipſe reddite; di
xit; quæ ſunt Dei Deo ; quæ ſunt Cæſaris
Cæſari,& celebre eſt, ac memorabile Plato
nis,& Ariſtotelis diſſidium, an omnia in
Republica cõmunia ẽẽ debeãt,&quemad-
modũ innocẽtiæ ſtatui oĩa cõmunia om-
nibus æquè conueniebant, ita humanæ na
turæ iam lapſæ,& peccatorum labe corru-
ptæ adeo congruunt rerum propria domi
nia,& rerum omnium diuiſiones, vt ſine
miraculo minimè poſſet alioquĩ genus hu
manam perenni ſæculo ſuſtineri ; Conſtat
igitur poſt peccatum enatam fuiſſe hanc re
rum diuiſionem, inde Caim obtulit Deo
de fructibus terræ , & Abel de optimis, &
opimis ſui gregis, quæ ſi ſua propria non
fuiſſent, nullam mereretur uel Abel laudẽ,
uel Caim uituperationem: Sic diuiſio facta
4 legitur cap. xiii. Geneſios inter Abraham,
& Loth, Ecce, inquit Abraham fratri ſuo,
uniuerſa

uniuerſa terra coram te eſt,recedi à me ob-
ſecro, ſi ad ſiniſtram ieris, ego dextram te-
nebo, ſi tu dextram elegeris,ego ad ſiniſtrã
pergam , quæ ſanè diuiſio à iure gentium
emanaſſe patet, quo homines , & gentes
collatis principiis,& ratione examinatis ſi-
bi vtile fore decernebant . Hæc itaq; Do- 5
minia vel traditionibus, vel vſucapionibus
ab vno in alterum transferuntur l. traditio
nibus C. de pact. traditiones iure naturali,
vſucapiones iure ciuili transferuntur tranſ-
feruntur q per omnia genera cõtractuum
nominatorum,& innominatorum, & per
varias figuras, vt puta res, verba, literas,&
conſenſus. Vſucapio à Modeſtino difini-
tur in l. 3 ff.de vſucapi. Vſucapio,inquit,eſt
aquiſitio,vel adeptio dominii per continua
tionem poſſeſſionis temporis lege definiti.
Differt vſucapio à præſcriptione , nam ex 6
præſcriptione non aquiritur dominium,vt
ab ipſa vſucapione,quare interprætes aiunt
dominium vtile per ipſam præſcriptionẽ,
directum uerò per ipſam vſucapionem no
bis acquiri , & qui præſcripſit exceptione
potius

potius prætoris, quàm legis auctoritate ni tirur. quare præſcriptiones poſitæ in titulo ff. de excep. & præſcr. & in titulo. ff. de di-
7 uers & tēp præſcrip. legūtur, Verū Paulus Caſtrēſ. Modeſtini diffinitionem inſufficiē tem ratus ita definiebat, vſucapio eſt conti nuatio poſſesſionis rei alienæ per tempus à lege defiuitū cōcurrēte titulo, & bona fide, ex qua ſequitur acquiſitio dominii. Ego ve rò puto à Modeſtini definitiōe minime rece dēdū eē, & aduerſus Caſtr. ita argumentor uſucapionē non eſſe cōtinuationem poſ ſesſionis, ſed potius aliquid ex continuata poſſesſione emergens, dominium ſcilicet, uel dominii acquiſitionem: Dico præterea hanc modeſtini difinitionem non indige- re illis uerbis, rei alienæ, nā modeſtinus ha- biles terminos præſupponit, ut moris eſt legislatorum, & Iureconſultorum l. habeat unuſquiſq. C. de Sacroſ Eccleſ. nec adden da exiſtimo uerba illa, rei alienæ, ut potē cum ſantis ſit affirmari uſucapionem eſſe acquiſitionem dominii, nec enim poſſum dominium acquirere niſi rei alienæ, nam

quod

quod meum eſt impoſſibile eſt mihi acquiri, ſicut nemo poteſt rei ſuæ furtum facere : ſ. ſi rem alienam inſtitutionum titulo de legatis l. nec pignus.l. non ut ex pluribus .ff. de reg. iu. Superflua inſuper ſunt uerba illa cum titulo, & bona fide, neceſſariò ſi quidem conſequitur ex illis verbis, adeptio dominii per continuam poſſeſſionem temporis lege definiti, tum quia leges definiunt non ſolum tempus triennii, & decennii, uerum etiam titulum, ac bonam fidem, ſine quibus uſucapio prodeſſe nequit l. Celſus l. naturaliter ff. de uſucap. tum etiam quia vna eſt cauſa proxima uſucapionis, poſſeſſio .s. & ideo per hãc cauſam proximam rectè fuit definita, poſſeſſionis uerò, ſiue dominii plures quidẽ ſunt tituli, pro emptore, pro hærede, pro donato, pro legato, & huiuſmodi multi, qui ſuis propriis tituli lucent, & leguntur, rectè igitur ſe habet definitio Modeſtini. Verum 8
obiiciet aliquis hæc rerum dominia, & hãc uſucapionem non poſſe à lege æterna emanare, quandoquidem uſucapio rapiat, uel

Vu occupet,

occupet bona aliena, & longo tempore ſi bi uſurpet, asſiſcat, & uendicet inuito etiā uero, ac proprio domino, lege verò diuina interdictum ſit ne quis cupiat rem alienā, & regula ſit iuris, Quod noſtrum eſt ſine facto noſtro à nobis aufferri non poteſt; Cui obiectioni non erit incongrua reſponſio, poſſe Principem tam in Rep. Eccleſiaſtica, quam Ciuili bona ab inuitis dominis aufferre, & ad alios transferre dominiū, iuſtis tamen, & legitimis cauſis ſuadentibus: Talis habetur ſpecies belli tempore in germania trans Rhenum de agris ex Imperatoris reſcripto veteranis militibus in præmia asſignatis, ut in l. lutius titius. ff. de euiction: Hanc etiam poteſtatem ut ſubueniant Reſp. conſueuerunt Principes exercere, & quando ſubiecti deliquerint ob eorum peccata bona uindicare l. commiſſa ff. de publ. & ueſtig. l. poſt contractum. ff. de donati, ne itaq. domini agros, & prædia ſua incultos, & ſterilia relinquant, & ne rerum dominia inculta diù maneāt in Rep. ob bonum publicum; ut Caius atteſtatur;

tur; à lege introducta eſt uſucapio l.i.ff.de uſucap. Verum omnia bona à Deo, & à lege æterna proueniunt iuxta illud Apoſto li, omne bonum deſurſum eſt deueniens à Patre luminum, ergo hac ratione Vſuca-pio rectè dicitur à legi diuina profecta, quæ porrò uſucapio, quæ ue etiam præſcri 9
ptio à minimo, temporis momento emer gens per uaria tẽporum curricula uſq. ad annos centum, ad ipſam infinitatem uires ſuas in iure ciuili, & pontificio extendere uidetur, quod tum à Grecis, potisſimum ab Euſtachio, tum à latinis, maximè à Cu iacio obſeruatum fuit, apparent enim præ ſcriptionis momenti exempla in ea, quæ teſtamento libera iuſſa eſſe fuerit, ſi tres enixa fuiſſet l. Aretuſa ff de ſtat. hom. & in eo, qui bonam fidem habuit etiam mo mento initio poſſesſionis, ut posſit poſtea poſſesſionem, continuare l.ſi aliena res.ff. de uſu cap. ſic dicimus filium familias ac-quirentem nec momento temporis ſibi, ſed confeſtim omnia patri acquirere .l.pla cet.ff.de acquir. hæred. Pariter in minori-

bus annis 25. ætatem à momento ad momentum metiri licet, nam anniculus moritur, qui extremo anni die occumbit l. 3. ſ. minorem ff. de minoribus at in uſucapionibus non à momento ad momentum l. in uſucap. ff. de uſucap. Apparent præſcriptionis horæ exempla aduerſus eos actus, quæ unico, & continuato actu fieri debẽt, ut ſi agamns num ualeat teſtamentũ, quod actu continuo fieri debet, dicemus interpoſitam horam, & conuerſionẽ facta ad extraneos actus excipi poſſe non ualere l. hæredes palam ſ. ult. ff. de teſtam. idem ſi alia hora pater ſibi, alia filio impuleri teſtamentum, hoc eſt ſubſtitutionem fecerit pupillarem, valet pupillaris ſubſtitutio, nec teſtamentum paternum rumpitur, ſine quo pupillare conſiſtere nequit. l. ſi quis eum. ſ. 1. ff. de uulg. ſubſtit. & de horis habetur in l. 2. ff. de verb. ſign. Quòd ſi eodem die beneficium vni à ſummo Pontifices, & id ipſum alii ab ordinario collatum fuerit, is prior, ac potior in iure erit, cui hora priore beneficium fuerit collatum c. ſi à

ſede ſ. 1. de præbendis in ſexto, iuxta glo.
Præterea uir depræhenſum in adulterio ho
minem cum uxore nôn poteſt eius rei te- 10
ſtandæ gratia illum ultra horas uiginti reti- 11
nere l. capite quinto ff. ad l. Iul. de adult.
Vnius diei præſcriptio in aqua quotidiana
recipitur l. 1. ſ. quod autem ſcriptum ff. de
aq. quotid. & æſtiu. Iudex etiam eodem
die, quo tulit ſententiam, poteſt eandem
emendare in acceſſoriis, non autem poſtea
l. acta. ff. de re iudi. & facultas appellandi ui
ua uoce eodem tempore præſcribitur l. liti
gatoribus C. de appellat. l quinta. ſ. ult. ff.
de appellat. & die elapſa non poteſt iudex
ſententiam ſuam corrigere l. Paulus ff. de re
iudi. Duorum dierum præſcriptio in orna-
tu equorum uenditorum quærendo obſer 12
uatur, nam ſi equus uenditus biduo ante-
quam uenderetur, uel in ipſa uenditione no
bili ſella, & aureis frenis ornatus ſit, orna-
tus quoq́ dari debet emptori l. ædilis au-
tem . ſ. uendendi ff. de ædilit. edict. Trium
dierum obiicitur præſcriptio ei, qui nõ cor
rexerit errorem propoſitum in iudicio an- 13

te.

te ſententiam l.i.& l.ult C.de error. aduoca: Tertio quoq; die glandem legere licet, quæ ex mea arbore decidit in fundum tuū l.i. de gland.legen l. Iulianus .§. glans ff. ad exhibend ſeptem diebus duntaxat feræ, & ductores earum alendi ſunt in ſingulis

14 ciuitatibus l.i. C.de uenat.ferar.Spatio decem dierum appellare licet: Authent. hodie C.de appellat. Intra dies triginta utiles reus poterit priore accuſatore mortuo, & Rei nomine uirtute legis Iuliæ abolito ab aliis iterū accuſari l. 3. §.ult ff.de accuſat. Spatio dierum ſexaginta utilium poteſt uir

15 iure mariti uxorem adulteram accuſare, non poſtea l.vi l. iuremariti C. ad l.Iul de adult.Præterea centum dierum præſcriptio obiicitur agnatis,& cognatis ad agnoſcen-

16 dam bonorum poſſeſſionem, quibus elapſis excluduntur ſucceſſorio edicto l.i.§.lar gius. ff. de ſucceſſ. edit. l.2.C.qui admitt.

17 Sunt etiam aliæ menſtruæ præſcriptiones, nàm ſeptimo menſe naſci partum profectū, & legitimum atteſtatur Hyppocrates, & recipiunt Iuriſprudentes l. ſeptimo mē-

ſe

ſe ff. de ſtat. hom .ſexto, uel octauo perfe-
ctus minimè naſcitur undecimo menſe à
morte mariti genitus non eſt legitimus,nec
admittitur ad hæreditatem, quod relucta-
tur aduerſus reſcriptum Adriani Imperato
ris,de quo Aulus Gellius lib. 3. noctium at
ticarum,&multa præclara traduntur ab in
terprætibus in l.Gallus ff. de lib.& poſthu.
Præſcriptio ãnua moderatur omnes actio 18
nes annuas,ſic actio ex primo capite legis
Aquiliæ, tanti Reus condemnetur, quanti
res,uel homo uulneratus,ſine occiſus pluri
mi fuerit eo anno l.ait lex.ff. ad l' Aquil.hu
iuſmodi ſunt annalis omnes actiones,actio
de peculio,actio receſſoria uſucapionis, a-
ctiones præteriæ, poenalis,& id genus aliæ,
Duorum annorum lapſus obiicitur in lit- 19
terarum obligatione,&in actione de dolo,
ut in titulo delit. oblig.& in l.ultima. ff.de
dolo :Triennio res mobiles uſucapiuntur 20
§.i. de uſucap.&litis inſtantia finitur l.pro
perandum C. de iudi. Quadriennii præſcri
ptio competit poſſidenti res fiſci l.i. §.Di- 21
uus Pius. ff.de iu. fiſc. Quinquennio ceſſat

quærela

quærela inoffitioſi teſtamenti l. Papinianus
in fine ff de inoffi. teſtam. l. 2. C. in qui. ca.
22 teſtit. in integ. &c: Decennio inter præſen-
tes: Vicennio inter abſentes ſolent res præ-
23 ſcribi Inſtitutionũ titulo de uſucap. Alias
etiam breuitatis ergo prætereo, præſcriptio
24 ne tamen xxx. annorum tolluntur omnes
actiones perſonales, & mixtæ l. omnes l. ſi-
cut. C. de præſcript. trig. anno. Præterea
xxxx. annorum ſpatio creditorem ſibi pi-
gnori obligatam à debitore præſcribit. l. cũ
notiſſimi. C. de præſcript. trig. uel quadr.
anno & quæ actiones triginta annis tolli
nequeunt ſpatio quadriginta ãnorum pœ-
nitus extinguuntur, ſic etiam fiſcales actio
nes l iuſtas C. de iu. fiſ. Sola præſcriptione
25 50. annorum quod in alea luſum eſt tolli
tur ne peti posſit l v. C. de religi, & ſumpt.
fun. & alc. lus. quæ tamen præſcriptio mu-
lieri non nocet quin maior etiam quinqua
gennaria partum legitimum edat l. ſi ma-
ior quinquagennaria C. de legit hæred: cen
tum annorum præſcriptione ſola gaudet
26 Romana Eccleſia l. ult C. de Sacroſ. Eccleſ.

ſuccedit

ſuccedit poſtremo ipſa præſcriptio perpetua, qua omnes actiones temporales litis conteſtatione perpetuæ fieri dicuntur, & quia omnes actiones, quæ ex lege Senatus conſulto, uel ſacris conſtitutionibus proficiſcuntur perpetuo ſolebant antiquitus cõpetere, donec Sacræ conſtitutiones actionibus tam in rem, quàm in perſonam certos fines triginta, uel quadrigiuta annorum poſuerunt, huiuſmodi erant actiones illæ, noxalis, de pauperie, de paſtu pecoris, familiæ herciſcundæ, ex lege Aquilia, petitio hæreditatis, conditio ex lege, & ſimiles, quæ in titulo inſtitutionũ legũtur de perpetu: & temp acti. l. omnes C. de præſcript *30*, & *40*. annorum.

Xx De

De lege humana. Cap. Tertiũ.

1 *Leges humana à Deo.*
2 *Lex eſt ratio ſummi Dei.*
3 *Lex quando Coeli creati.*
4 *Ius naturale in inferioribus etiam brutis cernitur.*
5 *Ius gentium quodnam.*
6 *Ius ciuile quid.*
7 *Ius ciuile creſcente in dies Rep. auctũ fuit.*
8 *Pratorum edicta prius erant annalia, poſtea perpetua facta fuere.*
9 *Paulus ad edictum perpetuum quot libros compoſuerit,*
10 *Quot libros Vlpianus, & alij.*
11 *Edictum Vrbicum, & Prouinciale.*
12 *Ius ciuile in ordine redigere an fuerit arduum.*
13 *Lex humana num proueniat à Deo cum permittat iniuſta.*

1 Iam

IAm de lege,& de Iuribus di
cendum eſt, legem,& iura
intelligo ,ut Chryſippus,& 1
Martianus aiunt,iuſtorum,
& iniuſtorum regula, hanc
Cicero Summi Iouis rectam rationem eſ-
ſe definiebat,& à coelo deſcendere ita oſtē
debat, nec enim inquit, tùm deniq. incep-
pit lex eſſe, cum ſcripta eſt,ſed tum cùm
orta eſt,orta autem eſt,unà cum mente di
uina quamobrem lex vera, atq. Princeps
apta,ad iubendum, & ad uetandum ratio
eſt recta Summi Iouis, id etiam exemplo
probabat. Nec ſi regnante Tarquinio nul-
la erat Romæ Scripta lex de ſtupris, idcir- 2
co non contra legem illam ſempiternam
Sextus Tarquinius cū uī Lucretiæ intullit,
hoc etiam longè clarius Dei ſapientia apud
Salomonem atteſtatur,nundum Coeli in-
quit,& terra conſtiterant,quando Certa le-
ge,& giro uallabat Abyſſus, & legem po 3
nebat aquis,ne tranſirent fines ſuos,& ap-

pendebat ſundamenta terræ cum ipſo erã
cuncta componens,ceterũ non eſt mihi in
huiuſmodi legem principio probando di
uitius immorari,Quandoquidem , philo-
ſophi omnes , ne dum Theologi , omnia
ab hoc uno rerum omnium principio,tan
quam à prima cauſarum cauſa & à peren-
ni eternoq; fonte dependere , ac oriri pro
comperto habeant : legem itaq; ipſam ip-
ſum ue ius in hæc inferiora defluens ſicut
in ſuas ſpecies diuidatur, uideamus.
Satis equidem omnibus . Conſtat legem
iuſuè quadam naturale à ſuprema Diui-
naq. illa mente in hæc inferiora animan-
tia etiam nũm bruta offundi ac perpetuò
propagari . Hinc Leo Leonem ſibi ſimilẽ
4 Equs Equm,canis canem, quinimo planta
plantam,& homo hominem ſibi ſimilem
generare , & procreare geſtit ; non enim
quodlibet ex quo uis,ſed ex quodam deter
minato produci,nec enim ex Leone colũ-
bæ generantur , non deſunt qui ius in Eli-
fantis uigere conſiderent , dum eos ex Ari-
ſtot. ſententia in problema. ſolem ori-

entem adorare referunt, idemq; in Leone
perpendunt, quem Romæ gratias rependiſ
ſe Androdo ſeruo, quòd ei ſpinas pedibus
inhærentes in Africa eruiſſet, ut Aulus Gel-
lius ſcriptum reliquit, in eſt etiam hoc ius,
hæc inquã lex naturalis in ſeminibus ipſis
hac ſeminaria uirtute preditis, ut ſibi ſimi-
lia procreent, ſic Platanus Platanum, ſic Lau
rus Laurum, quamobrem animalia quoq;
rationis expertia huius iuris peritia, ut Iu-
ſtinianus exiſtimauit, meritò cenſentur, iſtã
ipſa quoq; filios procreare, & educare ge-
ſtiunt, & uim ui propellere nituntur, quæ
ſane lex, quod uè ius ea ratione à Iuriſcon-
ſultis appellatum eſt ius naturale, quod cõ
mune uideatur omnibus animantibus,
quæ autem ratio, quoduè ius inde proma-
nans ſolis hominibus inditum, infuſumq; 5
fuit, quale ius eſt Religio erga Deum, amor
erga patriam, & parentes, Sanguinis neceſ
ſitudo, Amicitiæ uirtus, & id genus mul-
ta, à legislatoribus Ius gentium nuncupa-
tum fuit: quod autem poſtea uni tantum
Populo, ciuitati, vel Regno cõmune inditũ 6

extitit, id ius ciuile nominatum fuit, quia
ab uniuerſis gentibus ad unam tantum ci
uitatē reſtrictū fuit; Quale ius Romanorū,
uel Athenienſium, uel Lacedemoniorum,
nam propter uarios gentium mores, pro-
pter uarias temporis, pacis, & annonæ ui-
ciſſitudines, quaſi (Cœlo urgēte) unaquæq.
Ciuitas ſibi proprium ius conſtituit, quod
propterea ius Ciuile nuncupatum fuit, præ
ceteris autem mirum in modum fulget, &
eminet ius ciuile Romanorum, quod à
Prætorum edictis, à Republ. Romana diu
uniuerſum terrarum orbē regente, ac mo-
derante prodiiſſe conſtat, Romana Repub.
in dies creſcente ortum, & auctum fuiſſe ius
ciuile perhibet Pomponius in origine Iuris,
nam Prætores olim Romæ edicta in tabu
la, uel albo proponebant, ut certus eſſet po-
pulus quod ius ipſi eſſent de unaquaq. re-
dicturi l. 2. §. eodem tempore, de orig. iu.
inſtit. tit. de per. & temp. act. ea autem
edicta perpetua non erant, ſed ſimul cum
magiſtratu ipſo finiebantur qui & ipſe an-
nuus erat, & cum antea poſſent Prætores

etiam uariè ius dicere, tum l. Cornelia lata, ut Aſconius meminit, ſancitum fuit, ut ex edictis perpetuis, quæ iuriſdictionis perpetuæ, ac generalis cauſa ſemel à ſe propoſita eſſent quandiù magiſtratu fungerentur, Prætores ipſi ius dicerent; Hinc factum eſt, ut cum ſingulis ferè annis edicta noua ederentur, tanta copia, tantaq. uarietas edictorum ſecuta ſit, ut Saluius Iulianus ad ea undiq. colligenda, quæ prius uaga, diſperſaq. erant, & in unum uolumen redigenda diù
defatigatus fuerit, diù elaborauerit, cui ſanè 8
compoſitioni Imp. Adriani, & .s.c. accesſit auctoritas, unde ius illud edictum perpetuum, atq. immutabile dictum fuit, quo Prætores poſtea in iure dicundo uterentur. l. 2. C. de uet. iu. enucl. l. ſi quis eum. C. de cond. furt. Ad hoc ſanè edictum Paulus libros octuaginta, Vlpianus uero tres, & o-
ctuaginta, Caliſtratus edicti monitorii li- 9
bros ſex; Caius ad edictum Prouinciale, 38. 10
& ad Vrbicum edictum libros decem con 11
ſcripſiſſe feruntur. Nec me latet Senatus conſultum etiam latum fuiſſe, ut edictum

præ-

prætorium præſidibus prouinciarum traderetur, quod in prouinciis regendis eos inſequi oportebat, ut Flauius Syracuſius in Probo Imp. apertè ſignificauit, Quamobrem nec tam arduum, nec tam difficile Tribuniano fuiſſe ius ciuile Romanorum in ordinem redigere mihi perſuadere poſſem, ut potè cum edicti perpetui methodum ſibi ſequendam ſtatuerit, & facilè unicuiq; fuerit ſemper inuentis addere, ac ſimul eloquentisſima, ac prudentisſima comentaria Aemilii Papiniani, Pauli, Vlpiani, & aliorum Priſcorum Iureconſultorum inſerere, qui uel maximè ſub Alexandro ſeuero non minus iuſtitia, quã religione cõſpicuo Imp. floruerunt, Is .n. unus fuit inter Ceſares, qui nihil magni tentare unquã auſus fuit, niſi uiginti Iuriſconſultorum cõſilio maturè diſcuſſo, quiq; ſtatuam Chriſti in larario, in quo Deorum effigies, & Heroum ſimulacra ponenda curauerat ſingulis diebus, (ut Enius Spartianus retulit) adorabat.

Agè uerò ius ciuile Romanum,&alibi gē- 13
tium lex ipſa humana uſuras , concubi-
nas homicidia,& criminum id genus alia
permittit,igitur qui fieri poterit,ut ius ciui
le à ſempiterna illa,diuinaq́. mente deſcen
dat?

Verum ſotus,cæteriq́. Theologi reſpō
dent,leges iniquas, quatenus à ratione de-
clinant,non modo leges habendas non eſ
ſe,ſed nec appellandas quidē, at uerò qua-
tenus ſimilitudinē legis retinent,& pote
ſtatem aliquam imperandi deſignant quo
nammodo influxus ſint diuinæ poteſta-
tis,Præterea leges humanæ, quæ homici-
dia, & concubinas permittunt impune ,
quia omnia non poſſunt coercere flagi-
tia,& ut ſalus Reip. conſeruetur,& grauio
ra euitentur utiq́. à lege æterna deſcendūt,
à qua non emanarent ſi malum approba
rent ut malum : Quamobrem ut pateat
quomodo iura , & leges humanæ à Deo
oriantur,Hanc egregiam ſeriem ante ocu
los ponendam, ac deducendam curaui.

Sotus lib. 1. q. 3. art. 3.


Ius. Ciuile, non scriptum
Ius. Ciuile, Lex. scripta
Ius gentium
Ius. naturale
Ius naturale
decretum
Pacta. seruare
Patriae. Pietas.
Ratio
Dei.



Hũc autem modum deducẽdi leges humanas à Deo Opt. Max. nolui ab alio, quam ab Auguſto Iuſtiniano Imperatore, & fonte Iuriſprudentiæ exhaurire.

De Magiſtratibus, & iuditijs. Cap. Quartum.

1 *Magiſtratus, & iuditia à Deo deſcendunt, & qua ratione.*
2 *Magiſtratus varij, & iudicia Reip. Romanæ.*
3 *Iurisdictio, merum, & mixtum Imperium.*
4 *Merum Imperium quid.*
5 *Imperium mixtum quid.*
6 *Iudicium quid.*
7 *In Iudicium vocari aliud, et aliud in ius.*
8 *Notio quid ſit.*
9 *Ius dicere non poteſt Filius in cauſa patris, tamen poteſt iudicare.*
10 *Notio eſt ſine iuriſdictione.*
11 *Iudicis officium vnum nobile, alterum mercenarium.*
12 *Iudicia priuata quæ.*

13 *Man-*

13 *Mandare iuriſdictionem, & dare Iudicem differunt.*

14 *Formulæ actionum, & iudicis dati.*

15 *Qui ius dicunt non poſſunt uxoribus, & liberis, vel affinibus ius dicere, tamen Filius poteſt in cauſa patris iudicare.*

16 *Iudicia humana à Coelo in orbem inferiorem delata reflectuntur in Deum glorioſum per Hyerarchias Angelorum.*

Magiſtra-

MAgiſtratus quoque ac Iuditia humana ab eodem primo exordio efluere non dubitamus, nam cum ſenuiſſet ſamuel popoſuit Filios ſuos iudices ſuper Iſdrael & populus Regem petiit, & diſuadente Samuele Populus exflagitauit,& uindicauit, ſibi Regē,Rex enim erit aiebat ſuper nos, & erimus nos quoque ſuper omnes gentes,& iudicabit nos Rex noſter,& egredietur ante nos,& pugnabit in bello pro nobis; & Dominus exaudiuit vocem eorū, & conſtituit ſuper eos Regem, ut Regum
1 primo cap. 8. legere eſt,præterea iuditium humanum ratione poteſtatis diuinum dici poteſt: Quoniam nulla eſt poteſtas niſi à Deo; Paul. ad Roman. cap.xiii., & quia Magiſtratus miniſtri ſunt Regni Dei, Sapient.cap.xvi. & iuditium, uel autoritatē Dei non hominum exerceant,Paralipom. 2.cap xix ratione etiam miniſterii homi-

nibus

nibus conceſſi Deum ipſum præſeferunt: prouerb.8. per me Reges Regnant,&prin cipes iuſta decernunt, Hæc eadem manife ſta fuerunt,& comprobantur in Rota hye rerchiarũ quam ſupra ſculptã obtulimus. Hinc uarii fulgent magiſtratus apud uarias gentes, & Reſpublicas, præcipuè uerò in Romana Republ.dum rerum(ut caput to tius mundi) poteretur, & conſpicuam ce ris omnibus gentibus,ac potentia, cenſo-ribus, centum uiris, conſulibus, decem-uiris Dictatore Duũ uiris ĩterrege, Iuridi-co Alexandriæ,Magiſtro equitũ Præfecto ærarii Vrbis ãnonæ præfecto prætorio, ui gilum Auguſtale,præfecto prouintiarum, prætore Vrbano, Peregrino fideicõmiſſario, prætore prouintiale fideicõmiſſario; Fiſca li,tutellare, rerũ Capitalium, procuratore Cæſaris,procõſulis,&pro prætoribus, pro dictatore, Quæſtoribus ærarii, Quæſtori-bus Prouincialibus,paricidii & candidati, Tribunis ærarii, Tribuno Celerum Tribu no militum,Tribuno plebis, Triumuiris Capetalibus, Triumuiriſq. nocturnis, &

mon-

monetalibus,&huiuſmodi multis ſeſeDō mi foriſque oſtentabat. Hinc iuriſdictio, Iuriſdicentis offitium ac mærum mixtumq́. imperium, Vulp. in l.prima de Iuriſd Omn.Iudic. Ius dicentis Latisſimum
3 offitium eſt nam,& bonorum poſſesſiones dare poſſunt,& in bonorum poſſesſio nē mittere Pupillis nō habentibus tutores conſtituere,Iudices litigantibus dare. Idē quoque Vulp.Imperium inquit, aut mærum,aut mixtum eſt; mærum imperium
4 eſt habere gladii poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos homines, quod
5 etiam poteſtas appellatur,mixtum Imperium eſt cui etiam iuriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poſſesſione conſiſtit, iuriſdictio eſt etiam Iudicis dandi licentia, quare hæc inter ſe longè differe uidētur,iuditium, iuriſdictio,notio,&imperiū iuditiū à iuriſdictione ſeparatur, ut ex titu
6 tilis etiam ſuis peculiaribus, colligitur,iuriſdictio enim,aut eſt magiſtratus aut eius cui prætor iuriſdictionem dedit,Iuditium
7 etiam eſt priuatorū iccirco Duarenus lib.

primo

primo diſputat: cap. primo hæc differe pro fitebatur in iuditio eſſe,& in iure,in iuditium eſſe,& in ius uocari;Iudicium eſt legitimæ controuerſiæ apud Iudicem tractatio,& diiudicatio,iuriſdictio eſt poteſtas publica ſtatuendi de Ciuili, uel Criminali Iuditio : Notiò uerò ėſt ſola cognitio,ſolum iuditium. Sic qui hanc poteſtatem habent decernendi de Ciuili,& Criminali negotio, Iuriſdictionē quādā habere dicūtur,ut prætor Vrbanus,præfectus prætorio,præſides, & ſimiles. Quidam notionem tantum, ut præfectus annonæ,alii utranque,ut præſides prouinciarum, qui & ciuilem Iuriſdictionem,& Criminalem notionem tenēt, diferunt itaq. notio & iuriſdictio,Item iuriſdictio & iuditium, vt differunt ius dicere,& iudicare,filius nanq; in cauſa patris iudicare non prohibetur l. in priuatis, de iudit. l. quidam de re iudicata. Quare diuidere poſſumus iuditium omne in publ. & priuatum: publicum in iuriſdictionem,notionem,offitium,& imperium,iuriſdictio, uoluntaria,contentioſa criminalis, ciuilis,ma-

gna mediocris,& parua: Notio ſine Iuriſdictione habetur,ut apud Vulpian. in l. ait prætor, de re iudic: Offitium Iudicis unum nobile quod actioni minimè inſeruit, Alte
10 rum mercenarium quod uirtute actionis editæ exercetur, Præterea diuiditur offitiū in Vrbanum, prouintiale, & municipale
11 imperium uerò in merū,& mixtum, merū imperium magnum gladii poteſtas, & pæna corporis; mediocre exilii, paruum leuioris mulctæ: mixtum imperium cum iuriſdictione itidem diuiditur in magnum cum coercitione, mediocre ſine coercitione, minimum in minimis, priuatum uerò iuditiū eſt ſine magiſtratu, quod obtinent iudices pedanei, ſpetiales, arbitri, & ſimiles, hi habent ſolam ſine magiſtratu iuriſdictionē, uel ſolam cauſarum priuatarum notionē, Et his etiam ſequitur longè difere mandare iuriſdictionem, & dare iudicem, nam qui iuriſdictionem habet, magiſtratus ſplendo
13 re, ac aliqua imperii ſpetie, uel iuriſdictio-
12 ne potitur, l. prima l. imperium, ff. de iuriſ dict. omn. iudic. Sed iudex datus ſolam ob

tinet

tinet notionem cauſæ, ſiue iudicationem, nullum uerò Imperium, nullamq́. iuriſdictionem habet, ut apud Vlpianum in l. ait Prætor ff. de re iudicata, Prætor dixit, eum, qui iuriſdictionem; melius dixiſſet, qui notionem habuit; non negauerim tamen notionem quoq́. impropriè accipi pro iuriſdictione l. notionem ff de uerb: ſign. Praeterea qui iurisdictionem habet amplius obtinet, habet enim trinam illam iuriſdicendi poteſtatem, Do, dico, addico, & iudicis dandi, ac iudiciariæ formulæ dandæ licentiam l. prima ff. de iuriſdictione omnium iudicum, ſed iudex datus tenetur parere formulis, ut tradit Duarenus in l. iuriſgētium . ſ. & ideo ff. de pactis, Theophilus inſtit. tit. de interdict. in principio Cic. lib. 2. de finibus bonorum, & malorum, probat etiam titulus Codicis de iuris formulis, & actionibus ſublatis, item differunt mandare iuriſdictionem ſiue iusdicere, & iudices dare, & ita differunt iuſdicentes, & iudices dati, nam ſi quis exemerit eum, qui in ius uocabatur ad magiſtratum, ad iuſdicē- 14

tem,utiq́. incidit in pœnam edicti, ne quis
eum,qui in ius uocatus eſt ui eximat, at ſi
quis exemerit uocatum ad pedaneum Iu-
dicem,ſiue ad iudicem datum non tenebi-
tur pœna edicti, illi magiſtratu, ac tribuna
li funguntur, hi uerò minime l. 3. §. ſi quis
cum ff. ne quis eum, qui in ius uocatus,
l. prima ff. de iudi. l. eum qui iudicare. ff.
de iuriſd:om. iud. l. qui pro trib. ff. de re
iudi. Demum qui ius dicunt non poſſunt
15 pro magiſtratu uxoribus, liberis, & affini-
bus ius dicere, tamen filius poteſt cauſam
patris iudicare. l. qui iuriſdictioni. ff. de iu-
16 riſd. omn. iud. l. in priuatis ff. de iudi. Om-
nes itaq́. hi magiſtratus, & omnia hæc iu-
dicia à Cœlo in hunc terrarum orbem de-
lata hinc ad Deum ipſum glorioſum per
Angelorum Hierarchias reflecti oſtendi-
mus in Dei,& Angelorum ſchemate, ſiue
rota.

De Pactis, & contractibus. Cap. Quintum.

1 *Pacta, & contractus ab æquitate, & iure naturali.*

2 *Pactum vnde dictum, & quid ſit.*

3 *Contractus quid.*

4 *Translatio Dominij à naturali æquitate.*

5 *Pactum, conuentionem, pactum nudum, pactum legitimum, dictum pollicitationem, ſtipulationem, tranſactionem, contractum, & conſtitutum inter ſe differre.*

